INSTITUTIONES

MEDICINAE PRACTICAE

QUAS

AD USUM JUVENTUTIS

DIGESSIT

PETRUS ALOYSIUS VALENTINI

EX COLLEGIO MED. CHIR.

IN ROMANA UNIVERSITATE PROFESSOR

IN NOSOCOMIIS S. SPIRITUS S. MARIAE DEMENTIUM

S. JOANNIS NATIONIS FLORENTINAE

MEDICUS PRIMARIUS

ET IN EORUM PRIMO PHYSIOLOGIAE LECTOR

AC PLURIUM ACADEMIARUM SOCIUS.

VOL. VIII.

PRIMUM ORDINEM MORBORUM
NERVEI SYSTEMATIS
COMPLECTENS

ROMAE

Ex typographia Contedini 1843.

Ad Thermas Agrippae.

INSTITUTIONES

MEDICINAE PRACTICAE

QUAS

AD USUM JUVENTUTIS

DIGESSIT

PETRUS ALOYSIUS VALENTINI

EX COLLEGIO MED. CHIR.

IN ROMANA UNIVERSITATE PROFESSOR

IN NOSOCOMIIS S. SPIRITUS S. MARIAE DEMENTIUM
S. JOANNIS NATIONIS FLORENTINAE

MEDICUS PRIMARIUS

ET IN EORUM PRIMO PHYSIOLOGIAE LECTOR
AC PLURIUM ACADEMIARUM SOCIUS.

VOL. VIII.

PRIMUM ORDINEM MORBORUM
NERVEI SYSTEMATIS
COMPLECTENS

ROMAE

Ex typographia Contedini 1843.

Ad Thermas Agrippae.

EGREGIO INSTITUTORI

P. ALOYSIO VALENTINI

IN AMICITIAE SIGNUM

OLYMPIADES CORSI

PRESBYTER AMERINUS

EPIGRAMMA

O Sors Diva potens, vitae tibi debitor hujus,
Si mihi firma salus, si quid et ingenii,

Si quis parvus honos, vix si pertingo poesim,
Si modice felix, ut tua dona, cano.

Debeo plura tamen, quod, dum sic clarus in arte,
Vir medica floret, vivere me dederis.

Firmat is incolumes, leges indicit, et artes,
Absit ut adversans, adsit amica salus.

Corpus in infirmum quam rite reducitur ordo!
Morbos quam miris pellit et iste modis!

Si cruciat scabies, febris si accenditur ardor,
Si vertigo caput, si petat ossa dolor,

Si frangat vires tabes, maciesque minetur,
Avertunt propereae, si medeare, pedem.

Calculus, hicterus, morbilli, scorbutus, herpes,
Scrophula, lepra, hydrops, plica, lues Syphili,

Indignatae abeunt, extemplo et signa salutis
Explicat is ridens, qui moriturus erat.

Saepius ex imo, Doctor mi, acheronte reducis,
Morte furente, tulit quos nigra navis aquis.

Horreat haec delere aetas longaeva, tuumque
Clarescat nomen, dum vehet amnis aquas.

Vive tibi felix, nobis et vive superstes,
Serius in nos sic saeviet atra dies.

CLASSIS OCTAVA

NEUROSES

GENERALIA DE NEUROSIBUS

§. 1497. Nervorum valetudines sine inflammatione, et febre vocantur neuroses. Quoniam de obscuris perarare libros laboriosum est, quidam scriptor, ut sibi muniret viam, amplam anatomicam et physiologicam nervorum descriptionem praeposuit. Qui vero in hoc studio operam confert, hisce notionibus instructus putetur. Nihilominus ad pathologicas nervorum conditiones expeditius assequendas, quandoquidem illorum systema novissimis investigationibus fuerit illustratum, etiam nobis aliquid praemittendum est. Hoc systema caeteris nobilius est, majorisque momenti; namque non solum in eo sensus et motus, et omnium fere functionum exercitium reponitur, sed ob maximam ejus excellentiam, reliqua etiam animalia homines tam

longe antecedunt. Partes, quibus constat, sunt cerebrum, cerebellum, medulla oblongata, medulla spinalis, nervi longe lateque diffusi, ganglia, plexus, extensiones. Hippocrates, aliique veteres usque ad Galenum, nervos ligamentis, tendinibus, ipsisque vasis miscuerunt. Hic fuit primus, qui cerebrum esse nervorum centrum putavit; plures cognovit nervos et ganglia; eos distinxit in illos motus, aliosque sensus; et ut interius medullares, exterius membranosos nervos delineavit. Hoc in statu restitit nervorum doctrina, donec alii detecti fuerunt nervi, varioque modo distributi, ut ab historia anatomes colligimus. Sed nostro aevo omnes fere nervorum divisionem amplectuntur, quam constituit Sömmering, scilicet quadraginta tria paria, quorum duodecim cerebralia, triginta spinalia, magnumque sympathicum, qui quadragesimum tertium componit par. Verum non omnes recentiores anatomici sub eodem aspectu haec quadraginta tria paria respiciunt. Etenim Bichat divisit nervos in duos ordines, quorum unus ad vitam ani-

malem, alter ad vitam organicam pertinet. Cuvier, Blainville, aliique non satis habueruut, nervum magnum sympathicum ab aliis sejungere, sed plura nervorum centra statuere. Plerique vero spectant nervorum systema, sicut compositum centro, quod est cerebrum, et dilatationibus, quae sunt medulla, nervi, ganglia. Et equidem vera in hoc systemate fieri non potest partium componentium absoluta separatio; et illarum, praecipue gangliorum, libertas est ad functionum exercitium circumscribenda.

§. 1498. Duabus substantiis componitur cerebrum, corticali nempe et medullari, quae etiam medullam spinalem, sed inverso ordine effingunt; nam alba substantia seu medullaris exterior est; cineracea seu corticalis interior. Membranae quae velant cerebrum, contegunt etiam spinalem medullam. Nervi vero sunt funes albicantes diversae magnitudinis, qui ad imperceptam usque tenuitatem dividuntur. In nervis ut in cerebro substantia medullaris deprehenditur, quae propria operitur membrana, neurhy-

men nuncupata; nec non plurimae arteriae, venaeque repentes. Nervi propriis ramis, qui plurimi sunt, conjuguntur, et hujusmodi conjunctiones nuncupantur anastomoses. In variis regionibus nectuntur nervi, et componunt plexus, ex quibus dein in ramos numerosiores dividuntur. Ex nervis etiam formantur ganglia, quae sunt exigua organa cineracei et subrubri coloris, filamentis nerveis, ope tenuissimarum lamellarum conjunctis, plurimisque vasis sanguineis contexta. Haec quidem certa sunt; sed quis dicat, an nervi plures textus pervadentes, eorum membranam retineant, vel deponant? an sub forma membranosa laxentur, ut illi odoratus, visus, auditus? Nervus sympathicus, intercostalis, aut trisplanchnicus, a Reil systema ganglionare, vel etiam systema ganglionare vegetativum, ordinem constituit complicatissimum, qui a capite ad pelvim extenditur, plurima ganglia transiliens, quae in cranii basi, collo, thorace, lumbis, pelvique locantur. Funes, qui ab istis gangliis exeunt, dant filamenta, quae per anastomosin qui-

busdam encephalicis, et spinalibus committuntur. In cavitate abdominis est nervorum trisplanchnicorum centrum. Hi formant plexus, quorum praecipuus est solaris in regione epigastrica post stomachum jacens, ex quo proficiscuntur rami alios plexus efficientes, ut stomachicos, coeliacos, hepaticum, splenicum, mesentericum, renales, spermaticum, etc. Hactenus exploratum nobis est; sed quis poterit de nervi intercostalis origine quaestionem persolvere? Alii enim contendunt eum a cerebro deduci; alii a medulla spinali; alii a cerebro et a spinali medulla; sed, quo magis dividitur, eo magis emancipari; alii constituere systema per se ipsum constans, nempe a cerebro non dependens, et in se ipso centrum possidere. Verum quamvis intercostalis nervus, sicut voluit Weber, sit peculiare systema, negari non possunt cum nervis alterius systematis conjunctiones, unde nascitur ille mutuus consensus, qui in statu praecipue morboso a perspicuis foenomenis cognoscitur.

§. 1499. Nervorum substantia a physicis, chymicisque explorata, non omnibus eadem visa est. Aliis enim ope microscopii globulis semipellucidis materia translucenti et glutinosa conjunctis videbatur composita: aliis putantur hujusmodi globuli a cerebro ad caeteras partes ferri, et producere motus, aut a sensibus ad cerebrum refluere, et sensationes efficere: aliis hi conjuncti globuli fibras primigenias effingere creduntur: aliis cum Della Torre in universo nervorum systemate globuli adesse et fibrae. Sed ut alias praeteream opiniones, perfectiorem cerebri analysin exhibuit Vauquelin, unde scimus, illius componentia esse aquae 80, 00; materiae crassae 4, 53; materiae crassae et subrubrae 0, 70; albumine 7, 00: osmazomatis 1, 12; phosphori, 1. 50; acidorum, salium, sulphuris 5, 15. Nervi secundum hujusce praesignis chymici sententiam eadem habent componentia. Inquit vero Berzelius, cerebrum esse refertum aqua, et in sua chymica compositione magis emulsioni, quam aliis rebus simile. Etenim si cerebra-

lis moles acerrimo examinetur microscopio, globuli pinguedinis et albuminae deprehenduntur.

§. 1500. Recentiores physiologi, qui non solum in sensu et motu nervorum functiones coercent, sed omnia vitae foenomena a vi et influxu illorum oriri autumant, ad tantam exprimendam efficaciam novum statuerunt nomen, quod latine reddi non potest, scilicet innervatio. Sed quodvis sit nomen, quis referat unde haec innervatio nascatur? quomodo vim suam diffundant nervi? Longum et molestum foret hypotheses ad haec revelanda mysteria conceptas. Solum dicam, antiquiorem fuisse illam Hippocratis spirituum animalium, qui ut subtile fluidum cerebro secretum, et per nervos ad partes corporis trajectum credebantur. Paullo vero post Hippocratem nervi fibris solidis, et elasticis constructi ponebantur, quae dum agunt, non secus ac chordae musicae vibrationes perficiant. Galenus vero sustinuit spiritus animales, et haec prima hypothesis fuit ultra quatuordecim saecula defensa. Argentarius fuit

primus , qui delapsam nervorum solidorum hypothesin instauravit, dum alii adhuc pro spiritibus animalibus acriter pugnabant. Staahl utramque deseruit, et pro suae doctrinae fundamento immediatam posuit animae actionem , quae auxilio vigoris vitalis fibrarum in universum corpus exeratur. Vix hac demissa doctrina , a viris doctissimis suscepta , non solum spiritus animales resumebantur , sed aquei , aerei , aetherei , spirituosi , volatiles ; vel aqua , oleo, sale, animali terra compositi fingebantur. Nostra tandem aetate hujusmodi spiritus corruerunt , et in nervis fluidum magneticum , electricum galvanicum circumfluere putatur. Hoc imponderabile fluidum organica actione nervosae substantiae , quae arterioso sanguine perfunditur , efformatum creditur. Insuper existimat Reil , hoc fluidum maxime mobile circa nervosos ramos , et circa carnes atmospheram constituere. Experimentis Humboldt , dein Aldini non solum hujusce subtilis fluidi existentiam, sed etiam sensibilitatem , seu facultatem sentiendi stimulum , et in hunc ipsorum orga-

norum ex quibus manat praesidio reagendi, demonstrare conati sunt. Quoniam vero hujusmodi fluidum partem interiorem, et nervorum superficiem percurrat, et musculos, organa, humores, potissimum sanguinem; impleat, ipsisque vitalitatis characterem imprimat, ab Aeschemajer organicum aether fuit nuncupatum. Darwin autem in sensationibus motum molecularum admittit, et haec hypothesis a quibusdam physiologis recipitur. Quisque igitur videt, nihil veterum, parum recentiorum doctrinam ad functiones nervorum exponendas sufficere.

§. 1051. Ambiguitates non absimiles faciunt, ut gangliorum functiones statui non possint. Quamvis enim ganglia cognoscebantur a Galeno, et ab anatomicis posterioris memoriae, praesertim Fallopio diligenter expensa, nihilominus eorum usus nostras adhuc perquisitiones effugiunt. Quidam judicarunt ganglia ad augendam fluidi nervei actionem, ejusque maturandum cursum constructa. Lancisi vero Epist. ad Morgagn. de gangaliis nervorum, ea cordi

comparat, putatque ad fluidi nervei motum obsecundandum inservire. Alii ganglia credunt inhibere, quominus anima interiorum organorum sensationes percipiat. Alii cum Winslow contendunt, unumquodque ganglium esse exiguum cerebrum. Alii habent ganglia sicut plexus, et nervi qui ab istis exeunt, sicut divisiones a nervis spinalibus, et cerebralibus dissitae. Denique alii recognoscunt in gangliis nervea centra spinalia; et opinantur, nervos, qui ab istis egrediuntur, esse disjunctos, et a cerebrali systemate minime pendentes.

§. 1502. Inter vero tot dubia certum est, nervos, qui per universum corpus proferuntur, maximam habere partem in functionum exercitio: plurimos esse propter nervosas communicationes inter partes consensus: magnam harmoniam inter nervorum, vasorumque systema; qua servata, salus; laesa, morbi multiplices proficiscuntur: nervos innumeris caussis morbosis, tam physicis, quam moralibus, saepissime non intellectis, esse obnoxios, quae non solum eorum functiones, sed ipsam

texturam temerant, unde morbi, et symptomata multiformia, plus vel minus gravia nascuntur. Vitia quidem nervei textus frequentia sunt, nec sine negotio detegi possunt. Textus cellularis qui est sub universa nervorum vagina, et inter partiales vaginas, interdum est sedes oedematis, congestionis sanguineae, adiposae, purulentae: vasa sanguinea nervorum varicibus subjacent, et aneurysmatibus. Ex congestionibus textus cellularis oriri possunt paralyses, aut propter irritationem doloris tormenta. In ischiade nervosa in involucris nervi ischiatici extat humoris effusio. Interdum nervi a tumore proximo comprimuntur, unde imminutio sensibilitatis, motus, et nutritionis in parte quae a compresso nervo nervos recipit. Maxima difficultas cognoscendi caussas morborum nervei systematis, rationem offert quia imperfecta remanet horum morborum doctrina, quamvis Hippocrates, Galenus, aliique veteres, et recentiores ad illos animum appulere.

§. 1503. Nervorum morbi sunt primarii, symptomatici, secundarii, consen-

suales, haereditarii, congeniti, generales, partiales, sporadici, endemici, epidemici, simplices, complicati. Primarii nascuntur a caussis; quae primitus agunt in nervorum systema; symptomatici ortum habent a morbis generalibus, vel localibus, acutis, vel chronicis, ut ab inflammationibus, affectionibus gastricis et verminosis, scorbuto, scrophulis, lue venerea, calculis, vitiis localibus; secundarii aliis succedunt morbis, ut sanguinis fluxibus, vel alicui metastasi; consensuales a partium sympatheia, non semper facile exponenda; haereditarii qui parentibus transferuntur in filios, congeniti, qui ab ipso ortu morbosarum caussarum actione suscitantur; generales universum nervorum obsident systema; partiales unam vel plures hujusce systematis partes; sporadici proveniunt a particularibus caussis; endemici, et epidemici a caussis quae in quibusdam locis endemice vel epidemice regnant; simplices, qui aliis non componuntur morbis; ex adverso complicati. Complicationes aliquando in initio, aliquando in progressu nervosarum affectionum con-

tingunt. Dum torquent affectiones convulsivae, maxime capitis, laeduntur viscerum abdominalium functiones, proindeque gastricam complicationem subsequi frequens est.

§. 1504. Nervosi morbi variam habent faciem et mutabilem. Saepe plura organa consequenter aggrediuntur, hinc ingens est et mobilis symptomatum numerus. Nulla igitur generalis et absoluta signorum descriptio dari potest, quae hosce morbos designet. Dicendum solum est, quaedam praecipua esse symptomata, ex quibus morbi natura deducitur. Haec symptomata sunt sopor, vigilia, dolor, spasmus, convulsio, vesania, paralysis, anaesthesia. Ex hisce symptomatibus, et partibus praecipue affectis, neuroses accipiunt nomen, ut a sopore, coma, lethargus, cataphora; a vigilia, agrypnia, incubus, somnambulismus; a doloribus, cephalalgiae, neuralgiae; a spasmis, tetanus, opisthotonos, emprosthotonos, trismus; a convulsionibus, chorea; a vesaniis, mania, melancholia, fatuitas; a paralysi, hemiplegia, paraplegia; ab anaesthesia, ecstasis, catalepsis, etc. Ut in

neurosibus interni, sic externi sensus depravantur, et hinc depravatae sensationes variis nominibus appellantur, ut obscura visio dicitur caligo; duplex, diplopia; nocturna, quae scilicet non habet locum nisi noctu, nyctalopia: sic olfactus deletus vel imminutus dicitur anosmia: auditus perturbatus, paracusis, surditas, cophosis: gustus extinctus, aut extenuatus, agheustia: sensus tactus deperditus aut diminutus, anaesthesia, quae generatim sensuum privationem, seu stuporem significat. Pro variis autem nervei systematis afflictis partibus diversa consurgunt foenomena. Itaque si afficiatur cerebrum, vexant capitis dolores, vertigines, sopor, apoplexia, sensuum internorum, et externorum perturbatio, vomitus aeruginosae bilis: si spinalis medulla, corripiunt vacillationes, tremores, stupores, paralyses extremitatum inferiorum; resolutiones sphincterum intestini recti, et vesicae urinariae: si nervi faucium, et oesophagi, aphonia, spasmodica tussis, dysphagia, constrictio oesophagi ipsius: si nervi thoracici, tusses convulsivae, dys-

pnoea, asthma, singultus: si nervi abdominales, spasmi ventriculi, intestinorum, aliorumque viscerum, meteorismus, tympanitis: si nervi pelvis in foeminis, uteri perturbationes, menstruorum retentio, nymphomania seu furor uterinus; in hominibus, impotentia ad coitum, pollutiones involuntariae, priapismus; in utroque sexu, spasmi vesicae urinariae, paralysis, urinae suppressio, vel incontinentia, ani spasmus. Nervorum morbi subinde improviso, subinde paullatim circumveniunt; saepe eorum paroxysmi habent periodum, quin hujusmodi periodi intelligatur ratio. In hisce vero paroxysmis plura superveniunt symptomata, ut pulsus contracti, frequentes, parvi, inaequales; urinae ut plurimum abundantes, limpidae saporis expertes, interdum coloratae, frequens mejendi voluntas; faciei color mutabilis, scilicet modo est pallens, modo rubens; cutis modo arida, modo sudore madens; rapidus ex gaudio ad moerorem, ex lacrymis ad cachinnos transitus; loquacitas, vaniloquium, cantus, oestrus; animi deliquia. Haec sym-

ptomata, desistente paroxysmo, quiescunt. Inter exposita signa frequentissimum est illud reddendi urinas; harum copia, et aquea indoles; nam arteriae renales nervis refertae, commotiones nervosi systematis experiuntur. In neurosibus autem symptomaticis non desunt primariorum morborum signa, et urinae non sunt tam aqueae, nec tam abundantes. Inquit Tissot, omnia nervosa symptomata a taenia producta vidisse, urinis exceptis, quae colorem nunquam perdiderunt. Animadvertendum tandem est, quosdam nervosos morbos sine multo labore simulari posse, ut sunt dementia, epilepsia, hysterica, et hypochondriaca affectio, et ipsa syncope. Ait Sauvages Tom. I. Nosolog. Method. pag. 522. = Si quis vero parum expertus existimet, quosdam morbos non ita simulari posse, quin fraus a medico detegatur; si judicet syncopticum v. g. statum, palpitationem, singultum non dari simulatum, qui motus cordis liberi non sunt, ille vim imaginationis non perspectam habet, et ignorat eos qui perbelle personam in theatro ludunt

tragicam non minus commoveri, quam si vere iis pathematis laborarent, quibus repraehesentandis incumbunt. =

§. 1505. Neuroses nostra aetate familiares sunt, quia homines molliter educti, debiliores evadunt in dies. Horum morborum proxima caussa absconditur; sed apud multos invaluit opinio, hanc vel auctam, vel imminutam esse nervorum sensibilitatem. Saepissime vero mihi videtur, hujusmodi caussa in organica nervorum compositione obduci, sicut cadaverum inspectiones confirmant. Etenim saepe laesae inveniuntur eorum vaginae, et pulpa; ipsi nervi graciliores, crassiores, compressi; hydatides; duritiae; tumores. In cadaveribus fatuorum, et idiotarum reperiuntur ganglia nervi intercostalis admodum crassa, dum ganglia spinalia et cerebralia flaccida sunt, et fere atrophica. Cerebrum in fatuis mollius est; durius in maniacis. In senibus nervi sunt sicci, ipsisque deest sensibilitas. Non rara sunt vitia glandulae pinealis, et pituitariae; et in substantia cerebri calculosae concretiones. Praedisponentes caus-

sae sunt temperamentum; aetas; sexus; clima; vivendi ratio; imaginationis vis; origo a parentibus, qui iisdem nervosis affectibus laborant; structura, et dispositio nervei, et ossei systematis; molestiae, quas in utero, et sub partu pertulit foetus. Temperamenta debilia, et sensibilia actione cujusvis caussae nervosis morbis obnoxia sunt; sed etiam robustiora, quae ob nimiam plenitudinem, praesertim ad apoplexiam propendent. Pueri ob mollitiem cerebri; majorem sanguinis affluxum ad caput; dentitionem; primarum viarum aciditates; vermes: adolescentes ob impulsum animi affectionum; vehementes partium genitalium stimulos, harumque functiones, sicut postularet natura, non peractas; in nervosos morbos delabuntur. Hisce virilis aetas minus subjicitur, exceptis vesaniis. Senes vero ad soporosas et paralyticas affectiones inclinant. Foeminae hominibus magis patiuntur nervosos morbos, quia earum nervi sunt sensibiliores, graciliores, copiosiores; functionibus sexualibus funguntur; uterus, et ovaria cum singulis corporis partibus con-

sensum habent. Siccum clima, et plus calidum, quam frigidum, nervorum sanitatem servat; ex adverso laedit, cum hisce qualitatibus non polleat. Ideo in quibusdam regionibus morbi nervei systematis vel endemici, vel epidemici sunt. Hisce vero morbis admodum favet vivendi ratio. Itaque merito inquit Pinel, quod si praecepta moralia in oblivionem veniant, affectiones spasmodicae innumerabiliter multiplicantur. Maximam vero vim habet haereditaria dispositio; nam in quibusdam familiis vigent spasmi, convulsiones, paralyses, vesaniae. Ita nervorum structura et ossium conformatio a naturali statu deflectens; nam in idiotis, et fatuis saepe adinvenitur molle cerebrum, et aliquod vitium in ossibus capitis. Observationes, quas super humanum, et animantium caput instituit Gall, incertae sunt: tamen plurimi faciendae, quia non parum afferunt luminis. Tandem gestationis et partus tempore multas ob caussas proles ad neuroses congenitas sese componit, quae in ipso utero possunt explicari. Innumerae autem sunt aegritudinum

nervei systematis excitantes caussae, quarum praecipuas attingamus. Inquit Hippocr. Sect. VI. aphor. 39. = Convulsio fit vel a repletione, vel ab inanitione, sic et singultus. = Scilicet plethora distendit sanguinea vasa, pulpam nervosam comprimit, et supra modum nutrit: contra sanguinis inopia non satis dilatat vasa, nec satis pulpam nervosam premit, nec satis alit. Gignitur plethora ab abundanti nutrimine, et a defectu alicujus consuetae exinanitionis sanguineae: parcitas vero sanguinis ab oppositis caussis. Praeterea nimiae jacturae cruoris, salivae, chyli, urinae, lactis, seminis, materiarum muccosarum, puriformium, purulentarum in extenuationem, consumptionem, nervorumque morbos projiciunt. Horum autem morborum caussa frequens et efficax sunt animi pathemata, quin modo repetam gaudii, amoris, odii, invidiae, irae, moeroris, timoris, terroris effectus, utpote notissimos, maxime in nerveum systema. Praeterea irregularitas, et defectus separationum solida depravat et fluida, quae cum non amplius perfectae

valetudinis benignam indolem habent, mirifice nervos exagitant. Ex caussis vero externis Hippocrates praesertim adnotat aërem, ut patet ab aphorismis sect. V., scilicet 16.° ⩶ Calidum, eo frequenter utentibus, has affert noxas: carnis effoeminationem, nervorum impotentiam, mentis torporem, sanguinis eruptiones, animi delíquia: haec quibus mors. ⩶ 17.° ⩶ Frigidum autem, convulsiones, tetanos; idest rigores, nigrores; et rigores febriles ⩶ 18.° ⩶ Frigidum inimicum ossibus, dentibus, nervis, cerebro spinali medullae: calidum vero utile ⩶ 19.° ⩶ Quae perfrigerata sunt, excalescere oportet, praeterquam quae sanguinem profundunt, aut sunt profusura. ⩶ 20.° ⩶ Ulceribus frigidum quidem mordax, cutem obdurat, dolorem non suppurantem facit, rigores febriles, convulsiones, et tetanos, idest rigores. ⩶ Sed praeter aërem nimis calidum, et frigidum; frigidum, et humidum; ejus vicissitudines; nocuos vapores; ventos meridionales; locorum, et habitationum positionem, sunt inter caussas prava et corrupta alimenta; abusus vi-

ni, et spirituum, coffeae arabicae, et theae viridis; praematura, et effrena venus; masturpatio; excitatum in foeminis, et non expletum veneris oestrum; venena; contagia; violentia, et irritantia pharmaca; deletrix quarundam substantiarum impressio; extranea corpora; calculi; percussiones; punctiones; vulnera; vita iners, aut immoderatus labor; fragrantes odores, etsi suaves, ut vanillae, rosarum, violarum, hyacinthi, potissimum sensibilioribus mulieribus. Notum est, quod de puella narravit Trillerus, quae cum dormisset ubi violae jucundum expirabant odorem, mortua est. Nec mihi negari posse videntur aegritudines nervorum, quae tempore aequinoctii, solstitii, et lunae cursus suscitantur. Curabam nobilem mulierem, quae quandiu vixit, hemicrania laborabat, curvata in cornua luna. Fateor tamen periodum non intellectam morborum nervei systematis ab alia etiam caussa oriri posse. Cum autem neuroses sunt symptomaticae, aut secundariae a plurimis nascuntur morbis vel acutis, vel chronicis, ut sunt in-

flammationes; egressus e vasis sanguinis, vel seri; calculi cerebri, renum, ureterum, vesicae urinariae, aliorumque viscerum; physconiae; tumores, et duritiae glandularum, et vasorum lymphaticorum, quae cum nervorum systemate cohaerent; morbi vasorum sanguineorum; retrocessus morborum cutaneorum; aliqua metastasis; ulcerum exiccatio; vulnera; etc.

§. 1506. Praeter expositas caussas plures nervorum morbi a partium sympatheia nascuntur. Hippocrates cognovit universalem corporis consensum, illumque partium, ut a suis libris deducitur. Postea Araeteus, Galenus, Caelius Aurelianus, aliique plures de partium sympatheia locuuti sunt. Sed de hac prior peculiari opere ann. 1721. evulgato disputavit Rega Lovanii professor; mox etiam alii. Non omnes vero partium sympathiae a nervorum communicatione oriuntur; sed etiam a communicatione vasorum; ab analogia structurae, et usus partium; a continuatione membranarum; a textu cellulari; et, quod admodum probabile est, a conformatione vasorum venoso-

rum abdominis. Etenim momento suo ponderandum est, quod Caldani dixit Instit. Physiolog. Cap. III. §. 34. = Abdominalium viscerum venae valvulis destituuntur: et fortasse hinc ratio peti potest plurium foenomenorum, quae ab efficta nervorum consensione originem ducere plerique autumant. Irritatos nervos irritationis sensum movere, ejusque irritationis effectus partibus communicari, intra quos nervorum eorum rami disseminantur, nemo inficias iverit. At vero si liberum est sanguini harum venarum modo antrorsum ferri, modo retrorsum, atque ita in aequabili circuitu diversimode perturbari pro diversitate causarum quae in abdominis visceribus sedem habent, rationi consonum videtur inferre, ex ea perturbata circulatione congestione nasci posse, intumescentias, simulque peculiarium humorum secretiones excretionesque perverti: quae sane omnia multiplici symptomatum veritati occasionem praebere possunt. = Indubium vero est, quin numerosiores sympathiae a nervorum communicationibus proficiscantur.

Quapropter notabiliores sunt illae capitis cum stomacho, et hepate; sensuum externorum cum cerebro; pharyngis cum stomacho; laryngis cum respirationis organis; tracheae cum cerebro, et visceribus abdominalibus, praecipue utero, et testibus; stomachi, et intestinorum cum pluribus organis, et musculis, qui plurium membrorum motui famulantur; hepatis praecipue cum cerebro, et etiam aliis partibus. His animadversis sympathiis plura exponi possunt morbosa foenomena, ut affectiones viscerum abdominalium, quae propagantur ad pectus, aliasque partes, quae ab intercostali, et decimo nervorum cerebralium pare recipiunt nervos: tetanus ab irritationibus stomachi et intestinorum; scilicet ob distributionem parium dorsalium ad musculos dorsi, horumque cum nervo intercostali communicationem: perturbatio nervei systematis, praesertim abdominalis, dum morbis afficitur vesica urinaria, quae nervos recipit a plexu hypogastrico, nervisque sacralibus: perturbatio etiam nervorum dum uterus, et ovaria involvuntur morbis; nam nervi

sympathici, sacrales, plexus mesentericus inferior ad efformandum plexum hypogastricum concurrunt, ex quo provenit plexus uterinus; nervi quoque a plexu spermatico inferiori feruntur ad uterum, potissimum ad ovaria: mutui mammarum, et uteri affectus; quoniam illae nervos conspicuos ab intercostali recipiant: morbi renum ab illis testium concitati; nam plexus spermaticus ab illo renali procedit: sic dicendum est de aliis pluribus partibus, inter quas propter nervorum complexus intercedit sympatheia. Plures tamen sunt partium consensus, quin ulla existat nervorum communicatio; et ideo non alia nobis saepe ratio suppetit, nisi quae in notissima Hippocratis sententia comprehenditur „ consensus unus consentientia omnia. „

§. 1507. Nervorum morbi sunt admodum varii et irregulares quoad diuturnitatem, intensitatem, symptomata, consecutiones; nam nervi in omnes functiones influunt. Ne vero in illorum praedicendo exitu erremus, prae oculis habeantur caussae, symptomata, species, complicatio. Neu-

roses enim haereditariae, aut congenitae fere nunquam emendantur. Tenaces sunt quae oriuntur a vehementibus animi pathematibus, et saepe etiam insanabiles. Si veniant ab hypersthenia, quod cognoscitur a temperamento plethorico, et a musculorum vigore; aut ab hypothenia, ut comprehenditur a circulationis, et functionum languore, ab infirma musculorum actione, viscerumque torpore, pertinaciores et intensiores fiunt neuroses, si universum systema ad aequilibrium non referatur. Etenim a nimio vigore saepe violentissima consequitur musculorum actio; sphincterum constrictio; sanguinis cursus; inflammationes; gangraenae: ab universa vero debilitate, maxime nervorum, non bene persolvuntur functiones, praecipue corporis nutritio, unde consumptio sequitur. Neuroses vero quae a nervea diathesi manant, et ante pubertatem; hac accedente aetate, vel diverso nutrimine, vel caeli mutatione, vel accurata vivendi ratione, interdum sua sponte vanescunt: sed raro vincuntur, si ultra adolescentiam perma-

neant. Non rarae sunt neuroses, quae a nerveorum involucrorum vitio nascuntur; sed difficile deteguntur, et sanantur. Subinde convulsivi accessus a quadam nervorum pathologica conditione nascuntur, quae definiri non potest; sed illi saepe utiles sunt, quia concussione hanc morbosam conditionem amoliuntur. Inter vero morborum nervei systematis symptomata, alia levia, alia molesta, alia periculosa, aut lethalia sunt. Ad levia spectant oscitationes; breves flatus; perturbationes stomachi parvi momenti; frequens mejendi voluntas; urinae aqueae; fugaces sensus frigoris, et caloris; mutabilis faciei color: molesta symptomata sunt ventriculi aciditates; cruditates; nauseae; desiderium vomendi; larga salivatio; capitis, abdominis, aliarumque partium dolores: periculosa, iidem dolores, si vehementes et protracti; vigilia; delirium; sopor; lipothymiae: lethalia, diuturni, et violenti spasmi, ex quibus produci possunt rupturae, et dilatationes vasorum, apoplexia, paralyses, prolapsus, herniae. A frequentibus enim convulsionum et

spasmorum aggressionibus laeduntur cerebri, nervorumque functiones; partes praecipue affectae paralyticae, et consumptae fiunt; etiam osseum systema afficitur, quia non desunt fracturarum et luxationum exempla, unde pueri paucas post horas moriuntur; in gravidis, parturientibus, puerperis abortus, retardatio partus, retentio placentae in utero, haemorrhagiae profusae producuntur. Si autem neuroses cum aliis complicantur morbis periculosiores, et curatu difficiliores sunt. Tandem si symptomaticae sint, aut secundariae, earum bonum vel malum omen a primarii morbi consideratione deducitur.

§. 1508. Cum neuroses tam molestiae, et alea plenae esse possint, curandum est, ut illarum caussae removeantur. Si pueri extrema nervorum sensilitate polleant, quod a delicata, et gracili temperie, somno levi, excitatione a somno cum improvisa concussione, facili fletu, quibusdam motibus musculorum faciei, pupularum dilatatione, crebrisque cruditatibus prospicitur, corpus roborandum est. Idcirco si lactentes

sint, diu praebeatur lac, et ad optimas qualitates lactis, et nutricis incumbere debemus: si vero ab uberibus depulsi, congruenter nutriantur, aërem salubrem respirent, servetur mundities, vino aromatico laventur, et in aqua frigida immergantur. Sic si adolescentes sint graciles et sensibiles, opportuna est corporis exercitatio, animi remissio quae naturalem adolescentiae festivitatem excitet, sobrietas, rusticatio frequens, balnea frigida, morum integritas. Si adulti, fugiant quae neuroses fovent, ut est vita mollis, et iners; vini, spirituum, theae, et coffeae abusus; nimia studia; vehementes animi affectiones: adhibeant quae ad temperamenti defectum corrigendum valent, et praesertim praeceptis diaeteticis obediant. Pro mulieribus aut gravidis, aut puerperis, in quibus maxima est nervorum sensibilitas, quantum fieri potest, serventur vires, functionum regularitas, animi quies, accuratum diaetae regimen. Si vero, adhibita etiam prophylactica methodo, corripiantur neurosibus, sollerter curandae sunt.

§. 1509. Curatio statuitur prout caussae sunt, et symptomata. Etenim si caussa sit debilitas, et nimia nervorum sensibilitas; defectus nutriminis; affligentes animi affectus, victus sit nutriens, et digestu facilis; non omittatur exercitatio corporis, quae magis apta putetur; eligantur remedia tam interna, quam externa, quae augeant robur, et symptomata mulceant. Veteres, et recentiores practici de maxima exercitationis utilitate in curatione morborum nervei systematis loquuntur. Gilckrist opere Londini edito ann. 1756. demonstrat navigationis lucrum: Sydenham laudat equitationem, et pro illis qui equitare non possunt, vectionem in rheda: alii plures suadent rura colere, et itinera facere, et etiam dum permittunt vires, venari. De remediis infra loquemur, sed in hoc casu dicam, praecipua interna remedia esse aquam frigidissimam, chalybeatam, praeparationes ferri, decoctum aut extractum peruviani corticis, alia etiam extracta amara, modicum vini usum. Possunt quoque volatilia, sedantia, spirituosa, et aromatica con-

ducere, sed illa moderatione et prudentia, quam res circumstantes requirunt; ut aquae destillatae cerasorum nigrorum, melissae, matricariae, cinnamomi, liquor anod. min. Hoffmanni, laudanum liquidum Sydenhami, castoreum ejusque tinctura, spiritus C. C. opium, assa foetida, moschus, etc. Externa vero sunt lotiones, et immersiones frigidae, balnea tepida aquae communis, vel thermalis, vel marinae, fluidum electricum et galvanicum, frictiones vel manu, vel panno laneo, vel strigili, vel oleo, vel spirituosis, et volatilibus substantiis. Si contra nervosi morbi ortum habeant a repletione, et a nimio vigore, victus confert vegetabilis et tenuis; aër temperatus; potio aquae purae, sed non frigidissimae; subacida; aliqua levis purgatio; clysteres tepidi; decoctiones althaeae, malvae, hordei, et serum depuratum lactis. Ubi vero hujusmodi morbi a nimia producantur plethora, et nutritione, a consuetis sanguinis exinanitionibus retentis; tum certe sublevant sanguinis missiones sive generales, sive locales; quae sedant et deprimunt, ut

aqua cohobata lauri cerasi, extractum hyoscyami. Sed si probabile sit in caussa esse humores pravae indolis, hos necesse est aquosis, diluentibus, mucilaginosis, edulcorantibus emendare, ut sunt insulsa carnis vitulinae jura, lac asininum, serum depuratum lactis, decoctio oryzae: victus farinaceis, lacteis, juvenum animalium carnibus, piscibus constet; potio sit aquà purissima, et modice concedatur vinum. Interdum serum lactis est omnibus praeponendum, maxime ubi sunt viscerum infarctus. Etenim est saccharo plenum, et butyrosàe et caseosàe partis expoliatum, unde diluens, et aperiens. Cum vero praecipua caussa sint animi pathemata, haec non tam per contraria pathemata, quam praèsentissimo Religionis auxilio refraenentur; sed si jam attulerint morbosa foenomena, statuantur diaetetica praecepta, et pro re nata praescribantur remedia. Inquit Tissot, iracundum hominem cognovisse, qui se castigavit, cum per longum vitae suae cursum lacte, rebus farinaceis, fructibus, pane, et aqua vixisset. Si sub aggressu pa-

thematum irritentur nervi, et ad spasmos convertuntur, adhibeantur mitia, ut sub irae impetu subacida; sub terrore diaphoretica; sub moerore antispasmodica; etc. Si denique neuroses sunt aliorum morborum symptomata, remedia sunt, quae in illos opportuna videntur. Itaque si nascantur ab impuritatibus gastricis, hae prius detrudantur; hinc dentur calmantia, et etiam roborantia, quia gastricae affectiones saepe a debilitate, et sensibilitate stomachi generantur. Ne vero irritent, prudenter usurpentur. Plerumque tutior methodus potionibus aquae frigidissimae, frigidis immersionibus, modica exercitatione, selectu alimentorum continetur. Composita stomachi sensibilitate, aliquod juvat extractum amarum, ut illud radicis gentianae, vel valerianae; tinctura chalybis Boerhaave; modicum vinum. Sic si neuroses scorbuti sistant symptomata, prius lac, et antiscorbutica, et optima diaeta; deinde cortex peruvianus, et levia martialia locum habent: si syphilidis, mercurialia, balnea, maxima sobrietas: scrophulae, antiscrophu-

losa, et tonica: obstructionum abdominalium, deobstruentia, martialia, aquae minerales, balnea, corporis exercitatio. Si vero neuroses sequantur sanguinis, alvi profluvia, albosque cursus, systemate diaetetico, tonicis, sed non irritantibus roborentur vires. Hisce praemissis, medicamenta expendamus, quae interdum utilia putantur.

§. 1510. Tam pro radicali, quam pro palliativa affectionum nervosarum curatione plura commendantur interna, et externa auxilia; sed nos de praecipuis sermonem expedimus, relictis absurdis, repugnantibus, periculosis, odore intolerabilibus, licet aliqua virtute non careant. Quid enim repugnantius quam humanum cranium contusum? quid nauseae plenius, quam pulvis humanarum secundinarum? Haec quidem abhorremus, etsi contineant principia, quae aliquam habent virtutem, ut ammoniaca, et phosphorus. Minus adversans est lumbricorum terrestrium pulvis, qui olim a doctissimis etiam practicantibus praedicabatur. Inquit Hoffmann Tom. III. op. omn. pag. 501. hunc favorabiliter adhibuisse pulverem

in curatione bimuli epilepsia laborantis propter crustae lacteae retrocessionem. Namque non dubitat illum inter specifica antepilectica recensere. Periculosa vero penitus renuantur, ut phosphorus, rhus rhadicans, rhus toxicodendron; quamvis hoc laudet Dusfresnoy opusculo edito ann. 1788. pro curatione paralysis extremitatum inferiorum, et pro maculis cutis auferendis, scilicet ejus extractum, aut aquam destillatam, aut foliorum infusionem. Alia propter odorem sustineri non possunt, inter quae est oleum animale Dippelii. Sic non loquar de tot concelebratis, amuletis, quae graece dicuntur περίαμματα, περίαπτα, quia de collo suspenduntur, aut alicui corporis parti adnectuntur. Haec enim aut nullum afferunt effectum, aut aliquem per imaginationis vim. Videamus igitur quae fructuosa esse possunt interna, vel externa remedia. Quoad prima, cum maxima sit nervorum sensibilitas, praecipue ventriculi, apta sunt olea, et substantiae mucilaginosae, ut oleum amygdalarum dulcium, seminum lini, et etiam oleae Europeae; decoctiones radicis

althaeae, emulsiones seminum, quae a veteribus dicebantur frigida, cum mucilagine gummi arabici. Acida quoque tantam discutiunt sensibilitatem, ex quibus praeferantur vegetabilia, ut citricum, tartarosum, acetosum; quae etiam juvant, si qua sit biliosa irritatio. Ex acidis mineralibus praeponitur sulphuricum ab alcohole correctum, seu elixir acidum Halleri; gas acidum, maxime a pulvere evolutum, qui dicitur aërophorus, ex duabus drachmis subcarbonatis sodae, sex drachmis acidi tartarici sicci, dimidia uncia sacchari albi compositus. Dosis est dimidia drachma cum aqua sub actu effervescentiae. Laudes etiam conferuntur aquae hoc acido saturae, praesertim Selterranae. Si contra nervorum sensibilitas fere extincta sit incitanda, usurpentur alchalia. Saepe autem in nervorum morbis remedia sistunt metalla, quippe quae vario modo illorum sensibilitatem temperant. Si igitur conciliandum sit robur, eligatur ferrum, ejusque praeparata, ut saepe faciebat Sydenham. Nemo enim inficiabitur horum medicamentorum, et aquarum

mineralium ferruginearum efficaciam. Mercurius est etiam praesentissimum remedium, non solum ad vincendas neuroses a venerea lue natas, sed saepe alias, quia agit in nervorum systema, in intimam illorum structuram penetrat, et affectiones excutit neurhymenis. Ad expugnandas convulsiones epilecticas, et epilepsiam ipsam, mirum remedium est oxydum zinci. Oxydum bismuthi ad sedandas ventriculi turbas adhibetur. In epilepsiam, et affectiones spasmodicas resolvendas a quibusdam proponitur cuprum ammoniacale, quod nervos abdominales irritat, et dari non potest nisi magna cautela a dimidio usque ad duo grana. Transactis temporibus maximo aegrotantium lucro saepe cinnabaris vocabatur in usum; et ab hac pulveres temperantes, quos composuit Stahal, efficaciam agnoscebant. Nobilem senem, a triginta annis spasmodicas intestinorum stricturas patiebatur, unde saevi dolores abdominis excitabantur, incassum sumptis innumeris medicaminibus, quae ipsi Italiae, et Galliae medici praescripsere, hisce temperantibus pulveribus persanavi. Et

si interdum leviores remeabant spasmodicae stricturae, parca dosi pulverum cito resolvebantur. Plura autem in neuroses remedia objicit vegetabile regnum, inter quae celebratissimus est cortex peruvianus, ubi corroborandum est nervosum, et musculare systema. Sydenham, aliique sub forma decocti, aut extracti aquosi porrigunt corticem; sed si maxima sit nervorum sensibilitas, sub nulla forma dari potest, utpote irritationem parit. Ad firmandos nervos amara conferunt; sed ne nocua evadant non diu adhibenda, sicut animadvertit Cullen. Amara vero et aromatica ubi non irritent, utilia sunt, ut acorus calamus; artemisia sive abrotanum, sive absinthium: hoc etiam de tincturis stomachicis dicendum est. Conveniunt aromatica si ingens sit nervorum atonia, ut radix valerianae sylvestris, serpentariae, angelicae, ireos florentinae; herba thymi vulgaris, teucri chamedrios, artemisiae vulgaris; semina triplicis hortensis, pimpinellae anisi, anethi graveolentis, anethi foeniculi; flores tiliae Europeae, lavendulae spicae, matri-

cariae chamomillae, etc. Olim ut anthystericae habebantur mentha pulegium, et mentha cervina, quae mox obsolverunt, ipsisque anteponuntur mentha viridis, et mentha piperita. Ab utraque extrahitur oleum essentiale; sed illud menthae piperitae fortius est, magisque penetrans. Jam dudum virtus antispasmodica tribuebatur primulae veris cujus florum infusio in vertiginem potis credebatur. Vitex agnus castus odorem penetrantem, et potius molestum emittens in testium nervos agere putatur; forsan quia jam ad extinguendas dabatur amoris flammas. Aromata etiam ad incitandum nerveum systema in usum veniunt, ut laurus cinnamomum, cassia, sassafras, epidendron vanilla, amomum zingiber, cardamomum, cariophyllus aromaticus, piper nigrum, myristica moscata, macis; horumque aquae destillatae, olea essentialia, tincturae. Praeter haec alia plura adhibentur, ut camphora, moschus, castoreum, oleum Cajeput, ambra grisea, succinum, succinas ammoniae, carbonas ammoniae empyreumaticus. Dum aegri sti-

mulis magis diffusibilibus egent, dari solet aether sulphuricus, nitricus, aceticus; aether sulphuricus alcoholisatus, sive liquor anodynus mineralis Hoff; aether nitricus alcoholisatus, sive spiritus nitri dulcis. Cum ingens debilitas conjungitur nervorum morbis, suppeditantur gummi-resinae, quae ad tonica et stimulantia pertinent, ut est assa foetida. Omnia vero haec non sunt indistincte porrigenda; nam si magna est ventriculi sensibilitas, praeter modum irritarent. Plures practici dum reliqua frustra tentarunt, substantias acres administrant, ut semina sinapis nigrae; radicem anthemidis pyrethri; herbam juniperi sabinae, anagallidis arvensis; fructus capsici annui; cantharides. Hujusmodi vero substantiae cautim dentur. Alia etiam, prout varii sunt casus, remedia expediunt. Si ex. gr. in primis regionibus aciditates molestent, absorbentia: si dolores et spasmi, narcotica, quae subinde sint calidae naturae, subinde frigidae. Spectant ad prima opium, ejusque composita, quae evitentur, si adest ad inflammationem proclivitas; ad altera hyoscya-

mus niger , conium maculatum, atropa belladonna, datura stramonium , prunus lauro-cerasus; quae etiam cum sint veneficae indolis considerate praeberi debent. Animadvertendum vero est, inter haec plura affinitatem cum nervis quarundam partium habere , ut helleborus cum nervis ventriculi, intestinorum , uteri , renum ; lactuca virosa cum nervis pulmonalibus , et cardiacis; cicuta cum nervis glandularum ; strychnon nux vomica cum illis extremitatum. Denique sunt quae in nervorum morbos , ut specifica a quibusdam judicantur, ut flores arnicae, et illi cardaminae pratensis. Collin in guttam serenam, aliosque morbos nervei systematis floribus arnicae feliciter usus est ; sed ante eum jam horum florum virtus in paralysin, epilepsiam, et affectiones spasmodicas praedicabatur. Sed non semper flores arnicae administrare licet, praecipue ubi nimia urget sensibilitas ; siquidem vomitum, anxietatem, sudorem promovent. Flores vero cardaminae Angliae medici celebrarunt, .eorumque vim observationibus confirmarunt.

Externa etiam remedia plura sunt, ut clysteres emollientes, aromatici, narcotici, antispasmodici; scilicet ex decoctione malvae, oleo amygdalarum dulcium, aut communi; infusione florum chamomillae, et laudano liquido Sydenhami; vel sex unciis infusionis chamomillae, octava assae foetidae vitello ovorum subacta. In foeminis nuptis, aut viduis fieri etiam possunt injectiones in vaginam vel aromaticas vel narcoticas; et ad orificium usque uteri induci potest aliquod pessarium. Sunt mulieres, quae ad compescendas uteri perturbationes immittunt in vaginam matricariae fasciculum, unde levamen ferunt. Apta interdum sunt odoramenta ad incitandam cerebri actionem, ut ammonia pura; sternutatoria, dummodo periculosa vitentur; lacrymas promoventia, ut caepae naribus admotae, aut odor cochleariae armoraciae; suffumigia, quae fint urendo crines, ungues, cornu cervi; vapores aquae et aceti rosacei; narium vellicatio ope spicae frumenti, aut setae porcinae. Externum vero valentissimum remedium in neuroses

sunt balnea vel aquae communis, vel mineralis, vel marinae, vel quae parantur substantiis emollientibus, tonicis, narcoticis. Balnea tepida fiunt quavis anni tempestate, et potius matutino tempore. Mansio autem in hisce balneis secundum varios casus plus vel minus trahitur. Balnea calida, scilicet a gr. 29. ad 34. thermometri Reaumur, non tam frequenter expediunt, quia immodicam excitant perspirationem. Balnea frigida, sub gr. 15. hujusce thermometri, tonica sunt; sed prudenter fiant, nempe aestivo tempore, et per exiguum temporis spatium. Balnea maris, et fluminum saepe sunt per naturam aquarum, et per earum motum maxime salutaria. Quamobrem dum nervorum morbis balnea aquae communis, vel mineralis nihil levaminis attulerunt, admodum illa maris, vel fluminum juverint, etiam semicupia tepida; balnea tepida manuum, et pedum; lotiones et aspersiones frigidae; stillicidia aquae communis, vel mineralis reficiunt. Aliquando in paralysi, et extremorum stupore prodest lutum aquarum mineralium,

quo corpus, et partes asperguntur. Ab antiquis temporibus celebre est lutum aquarum Statellarum, ut docto suo libro ostendit Laurentius Granetti, quem inscripsit „ Cenni sulle terme d'Acqui. „ Interdum etiam fotus, emplastra, unctiones, urticationes, vellicationes, frictiones vario modo factae auxiliantur. Etenim placant spasmos, accelerant motum sanguinis, et insensibilem perspirationem augent. Frictiones fieri solent manibus, strigili, modo substantiis emollientibus, et oleosis; modo spirituosis, et tonicis. Ubi vero abolita sit sensibilitas, opem fert electricitas, aut illa galvanica. Chirurgica autem auxilia praeter sanguinis missiones generales, sunt applicationes hirudinum; cucurbitularum vel siccarum, vel scarificantium; vesicantia; sinapismata; fonticuli; setacea; moxa; ferrum candens.

§. 1511. Plures auctores in curatione morborum nervei systematis commendant musicam ob impressiones, quas in illud infert. Haec vero non semper utilis est; imo interdum nocens; cum scilicet eosdem

excitet animi effectus, qui morborum nervei systematis caussa fuere. Pluries enim observavi in affectionibus hystericis, et hypochondriacis, et vesaniis, musicam aut utiliter agere, aut nocere. Vidi puellam viginti annorum, quae dum corripiebatur mania, placabatur ad lyram: vidi aliam eadem fere aetate in convulsiones ad cymbalum delabi. Hinc persuasum habeo, ut suo loco dicemus, in dementium nosocomiis musicam esse pro illis solum adhibendam, qui ab hac utiles recipiunt impressiones.

§. 1512. Aliquid jam diximus de alimentis, et potionibus; nil igitur aliud superest, quam animadvertere, non semper regulis generalibus esse inhaerendum, sed alimenta et potiones esse variandas, prout sunt nervei systematis anomaliae. Usus ex. gr. coffeae interdum nocet, interdum producit mirabilia, sicut absolutam hemicraniae sanationem. Quod dicitur de potione coffeae dici debet de illa theae viridis. Lac generatim in neurosibus juvat, si a nimia nervorum sensibilitate nascantur, et pro

alimento res lacteae ; tamen interdum incommodant, ventriculi aciditates augent, nulloque modo ferri possunt. In defectu sensibilitatis aliqua expedit substantia aromatica, et modicus vini usus ; nihilominus non raro aromata officiunt, et praesertim ventriculi functionem laedunt. Aër etiam pro nervorum morbis esse debet modicae temperiei, minime variabilis ; attamen modo confert siccus, modo humidus; modo ille montium, aut vallium ; modo maritimus. Hoc quotidiana demonstratur experientia. Qui enim montano non sanantur aëre, secus maris litora sanitatem recuperant ; idem contingit sub aliis aëris qualitatibus. Inquit Demerson lect. V. Botanic. dum agit de vegetabili perspiratione, vere, dum renovatur vegetatio, folia, omnesque partes virides vegetabilium majorem quantitatem oxyginii praebere, praesertim cum dulces imbres refrigerent aërem. Tum si per subfrigidas nemorum umbras deambuletur, aër respirabilis balsamo repletus, videtur vitae robur, et novam vim imaginationi impertiri. Huic itaque auctori per-

suasum est, veris aërem esse mirum in modum vivificantem, et convalescentibus, et illis, qui melancholia, et convulsionibus implicantur, aptissimum. Ut de aëre, sic de motu, quiete, somno, vigilia, nulla peculiaris consideratio omittenda est.

§. 1513. In hac ampla morborum classe duos constituimus ordines. In primo neuroses organa vitae animalis, in altero illa vitae organicae affligentes includimus. In hisce ordinibus comprehenduntur genera, species, varietates. Haec quam offero distributio, innixa divisioni, quae nervos in illos vitae animalis, aliosque vitae organicae decernit, simplicior et aptior mihi visa est. Ad neuroses igitur primi ordinis veniamus.

ORDO PRIMUS

Neuroses vitae animalis

GENUS PRIMUM

Sopores

§. 1514. Omnes morbi quorum character est sopor, et imminutio aut amissio motuum voluntariorum ad morbos soporosos pertinent. Hic sopor, graece λήθαργος, latine veternus, continuum somnum, et torporem indicat. Soporosi morbi gradum solum differunt; ergo hoc genere plures continentur species, scilicet coma, lethargus; carus, apoplexia, etc; et hisce speciebus plures varietates, quae ab aliqua caussarum, et symptomatum varietate constituuntur. Sunt inter species, quae veri soporis apparentiam habent, ut apoplexia; qua prehensi vel humi, vel lecto procumbunt, stertunt, eorumque artus flaccent: aliae soporis apparentiam non offerunt, ut ecsta-

sis, vel catalepsis, in quibus sensus omnes et liberi motus deficiunt, sed aegri situm vel stantis vel sedentis retinent, qualem ante morbi aggressum habebant: aliae in quibus aegri nec bene vigilant, nec bene dormiunt; et dum sensus hebescunt, imaginationem non amittunt, ut est coma vigil. Quamvis inter hos morbos adsit adnotabilis differentia, quia non omnes ut carotici et apoplectici sensus, et motus, memoriam, et imaginationem perdunt; tamen quia aliquam quoad caussas, et symptomata similitudinem praeseferunt, insimul alligentur.

§. 1515. In omnibus soporosis morbis laeditur cerebrum, ut a caussis, symptomatibus, cadaverum aperturis confirmatur. Ergo caussa proxima est laesa cerebri, nervorumque integritas: caussae remotae, quae vulnerant, lacerant, irritant, comprimunt, aut alio modo fabricam hujus visceris offendunt. Revera sectione cadaverum inveniuntur: rupturae vasorum; effusiones sanguinis, et seri; in cerebri ventriculis collectio serosi humoris: tumores; ascessus; ulcera-

tiones; vermes; hydatides; calculi inveniuntur.

§. 1516. Horum morborum prognosis nunquam fausta est; nam saepe imminet vitae periculum, et mors. Nihilominus a diversitate specierum, varietatum, symptomatum; caussarum securum deducitur praesagium; quod etiam de curatione dicendum est. Haec enim interdum similis est, interdum differt, ut modo de speciebus disputaturi videbimus.

SPECIES PRIMA

Coma

§. 1517. Coma, κῶμα, aut est profundus sopor, aut propensio ad somnum cum vigilia. Somnus statu salutis plus vel minus extentionis habet ob aetatem, consuetudinem, temperamentum, clima. Generatim pueri valde dormiunt; parum senes. Quidam ratione consuetudinis vix quatuor horas dormiunt; alii decem. Debiles plus se dant somno; minus robusti. Sub gra-

vi aëre diuturnior est somnus; brevior sub levi. In statu vero morboso non solum somnus longior est, sed etiam morbosis foenomenis stipatur. Idcirco ob majorem vel minorem somni profunditatem, et varia foenomena dividi solet in plures gradus, qui praecipui sunt coma, lethargus, carus, apoplexia. Coma vero fuit a veteribus divisum in somnolentum, et vigil. Illud dictum fuit cataphora, καταφορὰ, quo nomine usus fuit Hippocrates ad quamvis denotandam propensionem ad somnum; hoc, graece ἄγρυπνον κῶμα, aut αγρυπνῶδες, a Nosologis, nomine minus apto, typhomania vocatur; siquidem exprimit delirium febris nervosae, quae dicitur τύφος. Quoniam plures admittuntur typhomaniae species, illa quae comati vigili respondet est ἀγρυπνίκωμα, quamvis a tradita nosologorum descriptione esse videtur inflammationis cerebri symptoma. Coma somnolentum est somnus continuus, profundus, quo si excutiantur, et de aliqua re aegri interrogentur oculos aperiunt, respondent, et in altum somnum iterum labuntur. Coma autem vigil est inu-

tilis ad somnum propensio, qui horrendis et mentem agitantibus imaginibus repellitur. Utrumque coma est primarium, symptomaticum, secundarium. Primarium est sine febre; symptomaticum, et secundarium huic conjunguntur.

§. 1518. Inclinatio ad coma somnolentum perspicua est; nam in alimentis sumendis, iter faciendo, aut in agendis rebus homines nutant et obdormiscunt. Haec inflectio ad somnum maxime in comate spectatur, quod ab auctoribus dicitur chronicum ad plures menses, et etiam annos extensum. Cum vero coma somnolentum opprimat, somnus est gravior; os hiat; oculi clauduntur; pulsus sunt tardi, depressi; facies pallida; membra flaccida; respiratio libera; aegri expergefacti aperiunt oculos, interrogationibus respondent, sed nihil aliud curant, nisi in somnum relabi. Etenim si praebeantur alimenta, haec respuunt; sed sumunt, si vehementer concutiantur. Interdum respiratio, progrediente morbo, stertorosa fit. Comati symptomatico, et secundario, ut est illud a scor-

buto, hydrocephalo, febribus intermittentibus perniciosis, cachexiis, podagra, retropulsis exanthematibus, repressis urinis aut egestionibus, primariorum morborum adduntur signa. Coma autem vigil ab impossibilitate dormiendi discernitur tempore, quo aegri ad somnum propendent, qui larvis abrumpitur, etsi illi in loco ad requiem conciliandam aptissimo discumbant; dum vigilant ab oculis clausis, et delirio: praeterea concitati, aperiunt oculos, et irritantur; mox palpebras iterum occludunt, et ubi forte per aliquot temporis momenta somnum capiant, exilientes expergefiunt: ut plurimum pulsus sunt lenti, et debiles; non molestat sitis, tamen potiones alimentis praeferuntur. Si coma vigil est symptoma inflammationis cerebri, febrium nervosarum, gastricarum, verminosarum, intermittentium, non desunt horum morborum consueta foenomena.

§. 1519. Surripitur caussa proxima comatis; tamen dici potest esse morbosam cerebri mutationem a caussis editam, quae modo profundum somnum, modo ad so-

mnum dispositionem, eodemque tempore vigiliam, et etiam delirium inducunt. Senes obesi, cachectici comati somnolento parantur, cujus excitantes caussae sunt crapula, diuturnae vigiliae, circulationis sanguinis tarditas, collapsus cerebri, haemorrhagiae habituales, egestiones periodicae repressae. Homines vero iracundi, nervorumque systemate sensibilissimo praediti non raro obnoxii sunt comati vigili cujus excitantes caussae sunt profunda studia, vehementia animi pathemata, immodici corporis labores, morsus scolopendrae. Cum ab hac caussa coma vigil proficiscitur, venit secundum Sauvages illa species Typhomania Martinicana vocata, quae sopore, delirio, et tumore partis morsu sauciae distinguitur.

§. 1520. Aliquando coma somnolentum expedite discutitur; scilicet cum caussa sit levis, et prompta curatio. A plethora natum aliqua sanguinis missione solvitur. Subinde vero est pertinax; per plures menses perseverat, et in apoplexiam abit, ut non raro senibus, et obesis evenit. Sym-

ptomaticum est plus vel minus periculosum. Illud febrium intermittentium perniciosarum praeceps est; sed si recte administretur peruvianus cortex prospere subigitur. Malum est in initio febrium malignarum; in progressu scorbuti, cum maxima sit debilitas, pulsus deficiens, musculorum lassitudo, maculae violaceae universi corporis, dolores articulares; in hydrocephalo chronico, ubi monstrat quomodo aquae premant, et diruant cerebrum, et cerebellum. Etiam timorem injicit a retrocessa podagra, aut retropulsis exanthematibus, et impetiginibus; sed si primarii morbi ad propriam restituantur sedem, feliciter evanescit. Coma ab ischuria renali modo lethale est, modo salutare, ut post acutos morbos, et in convalescentia. Coma vero vigil ut plurimum alea plenum est. Saepissime ab animi affectibus lacrymabile, quia transit in phrenesin, cui superveniunt convulsiones. Nonnunquam hic morbus per plures hebdomadas in eodem statu manet; postea symptomata vel augentur, vel decrescunt. Si hebetudini sen-

suum succedat delirium, inquietudo, pulsuum debilitas, omniumque rerum fastidium, sinistrum est omen; contra dextrum, si redeat quies, et utiles dejectiones ab aliquo medicamine promoveantur. Coma a scolopendrae morsu productum, ut Sauvages, aliique affirmant practici, aut sponte cessat, aut suppuratione partis morsu sauciae terminatur. Maxime tandem timendum est cum sit encephalitidis, febrium nervosarum, et malignarum symptoma.

§. 1521. Si coma somnolentum nascatur a plethora, conveniunt sanguinis missiones, hirudines, purgantia, clysteres, potiones diluentes, balnea calida pedum, victus tenuis; denique si hisce auxiliis obstet, vesicantia, et sinapismata. Sed si caussa sit debilitas, et circulationis sanguinis tarditas, praemittitur purgans, mox ad ea veniendum, quae incitant, et excutiunt soporem, ut sunt frictiones, vellicationes, vesicantia, sinapismata, aether, castoreum, spiritus C. C. succinatus, fuliginis; victus sit talis, ut sine stomachi pondere vigorem corporis augeat. Ubi fieri potest omittenda

non est aliqua corporis exercitatio. Non raro coma ortum habet a polypionia ; tum victus sit parum nutriens, a substantiis vegetabilibus , levibusque piscibus desumptus, nec parum exerceatur corpus. Si est symptoma febrium intermittentium perniciosarum , apta est venae sectio , si hanc permittant vires , aut applicatio hirudinum , et cucurbitularum scarificantium , vesicantia , frictiones , sinapismata , clysteres, odoramenta, et in intermissione, vel remissione paroxysmorum cortex peruvianus , aut ex eo parata. Si vero coma podagram, exanthemata , impetigines retropulsas sequatur, primum hujusmodi morbi ad sua loca revocentur. Idem fere de comate vigili dicendum est. Etenim si nascitur a debilitantibus , et mentem turbantibus pathematis , remedia sunt aether , liquor anodynus mineralis Hoffm. , opium , et ex eo composita: si ab immodicis laboribus vires exhaurientibus , praecipue conferunt nutrientia , quae vires ipsas restaurent : si a gastricis impuritatibus cathartica: si a vermibus anthelminthica : si sit inflammationis cerebri symptoma , methodus antiphlogistica.

SPECIES SECUNDA.

Lethargus

§. 1422. Lethargus, *λήθαργος, ληθαργία*, altus est sopor, ita aegros hebetes, et obliviosos reddens, ut expergefacti, nec perspicuitate, nec ordine petitionibus respondeant. Hippocrates lib. 2. de morbis LXIII. ⇌ Νȣ̃σος *ἡ καλȣμένη λήθαργος.* Βὴξ *ἴσχει, καὶ τὸ σίαλον πτύει πȣλὺ καὶ ὑγρὸν καὶ φλυηρέει· καὶ ὅταν παύσηται φλυηρέων, εὕδει· καὶ ἀποπατέει κακώδεα.* Morbus lethargus vocatus. Tussis oboritur, et salivam spuit multam et liquidam, et nugas garrit, et cum nugari desierit, dormit: et recrementum male olens egerit ⇌ Adest in initio desiderium dormiendi; debilitas; oblivio rerum; facies pallida, tumida, et interdum livida; sopor mox augetur; oculi semiclausi; os hians: si excitentur aegri, oscitantur, et nonnumquam dicunt, capitis gravitate, et dolore affici; si interrogentur, non bene respondent, et in somnum

recidunt: pulsus sunt varii, nempe tardi, frequentes, molles, undosi, debiles, inaequales, parvi, tremuli; sic respiratio rara, difficilis, expedita. Morbo ampliore facto, comparent profusi sudores generales, vel partiales; spasmi; convulsiones; paralyses; pulsus parvi, et tremuli. Cum lethargus ad apoplexiam declinat, sopor est maxime profundus, virium infirmitas, fere universalis oblivio, mens hebes et stupens. Saepe lethargus symptomaticus contingit in febribus nervosis continuis; intermittentibus perniciosis; in inflammatione cerebri; in chronicis pectoris morbis: secundarius post haemorrhagias; febres non resolutas; morbosae materiae ad cerebrum metastasim.

1523. Opinabantur veteres, caussam proximam lethargi esse frigidam et inertem pituitam, et hanc opinionem versabant, quia in hoc morbo adest pallor, et tumor vultus. Inquit Hippocrates de structura hominis III. = Lethargus vero et ipse cerebri passio est: cum enim cerebrum frigidis humoribus repletum fuerit, hinc passio quae lethargus appellatur, hominem

occupat: et calefacientibus cerebro opitulari expedit. = Caussa vero videtur esse morbosa cerebri conditio, quae plerumque in amisso cerebri vigore consistit; nam lethargus a caussis remotis oritur, quae τόνον perdunt. Ad hunc soporem inclinant senes, debiles, cacochymici, obesi, graves haemorrhagias, aliasve aegritudines enervantes perpessi. Caussae autem excitantes sunt aër humidus, et frigidus; prava alimenta; tristitia; immoderati labores; vita sedentaria; acria studia; diuturnae vigiliae; nimiae sanguinis jacturae; venena narcotica, ut opium, ejusque praeparata; datura stramonium; hyoscyamus niger; atropa belladonna, conium maculatum.

§. 1524. Saepe lethargus per plures hebdomadas, et menses manet; interdum intra paucos dies interimit: unde modo inter acutas, modo inter chronicas aegritudines adnumeratur. Aliquando cito lethalis est, ut si ab ingentibus opii dosibus generetur. In senibus, et cacochymicis in apoplexiam saepe transilit. Sunt autem symptomata, quae ostendunt acerbitatem mor-

bi, ut altus sopor; virium infirmitas; mutata vultus lineamenta; stupor; pulsus debilis; respiratio difficilis; dejectiones immodicae cum meteorismo; urinae suppressae, limpidae, turbidae, nigrae, sine voluntate redditae; spasmus maxillae inferioris; paralysis alicujus partis. Omnium vero funestissima sunt pulsus parvi, et tremuli; sudores frigidi partiales, aut universales; tremor manus; convulsivi motus. Fausta vero signa sunt facies fere naturalis; mens quieta; respiratio facilis; pulsus molles; sudores calidi, et profusi; urinae copiosae, et sedimentosae; dejectiones ventris cum levamine; excretio abundans mucci ex naribus et ore; parotides. Cum autem lethargus est aliorum morborum symptoma, plus vel minus severitatis habet. Lethale est in febribus nervosis malignae indolis; in febribus intermittentibus perniciosis tertia necat accessione, si non alacriter curetur, praecipue si aegri sint senio confecti. Apta vero curatione, et diaetetico regimine vincitur qui succedit gravibus haemorrhagiis, unde vires abscinduntur.

§. 1525. Clara est quorundam ad lethargum propensio. Tum si expugnentur caussae, amoliri possumus morbum. Illis ex. gr. qui studiis dant operam, praecipiantur exercitia, unde exhilaretur mens, et firmioris valetudinis fiat corpus. Etiam cum morbus jam inceperit, videndum quae sint caussae. Quapropter si nimia sanguinis quantitas in caussa sit, proficiunt venae sectiones; purgantia; clysteres emollientes; refrigerantia: si virium debilitas, optima jura; aether; ammoniaca succinata; decoctiones corticis peruviani; vesicantia; sinapismata: si opium, aut aliud narcoticum venenum, statim emeticum, et deinde quae illis vim veneficam auferunt. In opium vero animadvertendum est, plura fuisse celebrata, ut acetum, succum limonum, aliorumque vegetabilium; infusio coffeae; camphora; potiones muccilaginosae. Sed haec nocuas opii qualitates non delent. Experimentis demonstravit Orfila, acetum, et acida vegetabilia infesta potius esse quam utilia, si porrigantur cum adhuc opium est in stomacho; juvare, si venenum vo-

mitu fuerit expulsum. Acida enim vegetabilia solubiliora reddunt venefica opii principia, maxime morphinam; et ideo hujus deletrix actio in nerveas papillas magis extensa, magisque prompta esse debet. Hinc omnes in eadem fere sunt mente, dandam esse per vices decoctionem gallae tinctoriae, qua fit morphinae praecipitatio, et novum fingitur compositum, quod licet vi deletrici non omnino exutum, tamen est opio minus solubile, ideoque minus nocuum. Post vero decompositionem opii a decoctione gallae tinctoriae expletam; praebendum est emeticum, non multa aqua dissolutum, nec multa detur aqua emetico superbibenda. Aliquando dum aeger est stupidus et insensibilis obtineri non potest vomitus; et aquosae potiones dissolutionem veneni secundant, illiusque reddunt faciliorem absorptionem, proindeque perniciosiores effectus. Si vero obtineatur vomitus, et hinc rejectio veneni, secetur vena, praesertim si temperamentum sit plethoricum, et in gravioribus casibus vena jugularis. Postea utiles sunt potiones acidulae, ut aqua cum ace-

to, succo malorum medicorum, vel aliorum acidorum vegetabilium. Cum lethargus effusas excipit haemorrhagias, et pulsus sit debilis, et vires deficiant, tum cortex peruvianus, optima carnis jura, animi quies, diaeta animalis exquisita, modicum vinum, et apta corporis exercitatio opitulantur.

SPECIES TERTIA

Carus

§. 1526. Carus est tam somnus profundus, ut aegri excuti vix possint, et si excutiantur, et de aliqua re petantur non recte respondent, et confestim palpebras claudunt, et in somnum relabuntur. Respiratio est libera, et sine stertore; artus moventur. In augmento morbi symptomata majora fiunt; ideoque difficilius excutitur somnus; interrogationibus non redduntur responsa; vultus fit ruber; aegre maxilla diducitur; cubatus ut in apoplexia, a qua

carus differt quia respiratio est placida, rara, et sine stertore. Cum autem carus sit symptoma febrium intermittentium perniciosarum, vermium, affectionis hystericae, et hypochondriacae, hydrocephali, variolarum, etc., miscetur symptomatibus horum morborum propriis. Igitur si febres intermittentes comitetur, in earum accessionibus cum reliquis symptomatis occurrit: si vermes, eodem tempore adest rubor genarum fugax, pupularum dilatatio, pruritus narium, expulsio lumbricorum: si hystericam affectionem, ut plurimum praecedunt strangulationis sensus, dysphagiae, et volutantis globi; vicissitudines frigoris et caloris; pulsus tensus et strictus; urinae copiosae, et limpidae: si affectionem hypochondriacam, molestat constrictio gutturis; difficultas deglutiendi, et respirandi; unde nonnulli hanc affectionem credunt anginam, quae sub aspectu cari corripiat. Si carus sit secundarius, noscitur a praegressis morbis. Si proveniat a podagra, cessat prius dolor pedis, aliarumve partium: si ab ischuria, accedit propter refluam uri-

nam profundus somnus, sitis, calor manuum, febris: si a scabie, hac evanescente, gravis opprimit sopor. Carus traumaticus ab externis laesionibus distinguitur, ut vulneribus, contusionibus, capitis fracturis; ipsius capitis inspectione, et adstantium relatu. Sauvages inter cari species illam recenset, quae dicitur Nystagmus. Inquit hanc bis observasse, et ita describit = Est carus subito superveniens, omnem sensum, et motum artuum intercipiens, pulsu et respiratione pacatissimis, cum nictatione veloci et. continua ciliorum. = Haec vero species videtur esse hystericae affectionis symptoma.

§. 1527. A caussis gignitur carus ab illis apoplexiae non dissimilibus, si excipiatur differentia gradus. Etenim hujusmodi caussae sunt plethora; animi pathemata; venena narcotica; insolatio; frigus; abusus vini, spirituum, cerevisiae; fumus carbonum; vapor musti fermentantis; et ut refert Baglivi venenum tarantulae. Sauvages inter cari species illam admittit a plumbagine Europaea Linnaei, cui obnoxii sunt

qui, ad flavum paleae colorem obtinendum, hujus plantae decoctionem praeparant.

§. 1528. Carus est periculosus morbus; tamen a plethora, et a nimia vasorum cerebri distensione natus, sanari potest. Ille vero ab insolatione, animi pathematibus, narcoticis venenis, nec expedite, nec secure curatur. Lethalis est a vapore fermentantis musti, et carbonum; nam in fortem saepe apoplexiam degenerat. Interdum post cari sanationem aliqua remanet capitis nutatio. Ait Boerhaavius §. 1046. = Hinc a caro soluto sanitas, nisi quod forte titubatio vacillans capitis aliquandiu supersit. = Generatim carus est lethargo gravior, qui non raro in apoplexiam, et mortem convertitur. Quoad carum symptomaticum, et secundarium, in febribus intermittentibus perniciosis est saepe funestus; gravis in affectionibus verminosis, et hystericis; lethalis qui supervenit ischuriae; retrocedenti podagrae periculo plenus, sed si podagra ad suam sedem restituitur, etiam sponte sanatur. Exitiabilis est traumaticus, si post

ictum super caput, aeger ceciderit, et deinde comparuerit profundus sopor, vomitus, sanguis vel ex naribus vel ex auribus, acuta febris. In cadeveribus illorum, qui hoc perierunt, inventus fuit diffusus sanguis, pus, serum, sphacelus, cranii laminarum depressio.

§. 1529. Carus a plethora curatur sanguinis missionibus vel ex brachio, vel ex pede; applicatione hirudinum; balneis pedum; clysteribus; levibus purgantibus; fuga a calefacientibus; diaeta tenui; deinde epispasticis; et capite sublato, dum aeger decumbit. Sic carus ab insolatione exposcit sanguinis missiones generales, et locales; purgantia; applicatio capiti rerum frigidarum. Si caussa fuerint narcotica, videndum quae sint; sed generatim emetica, purgantia, clysteres, sanguinis missiones, si sinat virium conditio, quae praesertim ab observatione pulsus cognoscitur; nam dum exhausto robore vires languent ad cardiaca potius et vinum confugiendum est. Si vero traumaticus sit carus, expediunt venae sectiones vel brachio, vel

pede, vel collo; plura auxilia chirurgica, et interdum terebratio; potiones diluentes et antiphlogisticae; clysteres refrigerantes; pro victu jura, et juscula tenuia, positio capitis acclivis.

SPECIES QUARTA

Apoplexia

§. 1530. Apoplexia, ἀποπληξία, latine sideratio, nam graecum nomen proficiscitur ab ἀποπλήσσω, percutio, aut attonitum reddo, est subitanea sensuum internorum et externorum, motuumque voluntariorum amissio, manente cordis et pulmonum motu. Apoplexiae nomen Hippocrates dedit paralysi non solum totius corporis, sed quarundam partium, aut unius lateris, sive dexteri, sive sinixtri, quae hemiplegia, ἡμιπληγία, vocatur. Celsus apoplexiae nomine lib. III. Cap. XXVI. descripsit priorem, et rariorem morbum, quem dixit attonitum; alterum Cap. XXVII.

frequentiorem, quem resolutionem appellavit. Dixit, veteres resolutionem totius corporis apoplexiam; partium paralysin nominasse. Praeterea monet, suo tempore utrumque malum paralysin vocari: Revera apoplexia non est, nisi universalis paralysis. Galeni definitio est = Ἀποπληξία ἐστὶ κατοχὴ (alibi καταφορὰ) διανοίας μετὰ ἀναισθησίας, καί παρέσεως τοῦ σώματος. Apoplexia est stupor, mentis languor, et corporis resolutio. = Ergo in apoplexia circulationis et respirationis motus permanet; sed ubi vehementissima est, si instar fulminis non interficiat, hosce motus maxime turbat, hinc saepe stertore et roncho stipatur.

§. 1531. Omni tempore apoplexia aliquam, sed semper imperfectam, divisionem subiit. Veteres eam dividebant in universalem, et partialem, quarum prima etiam vera dicta fuit, altera spuria. Deinde ratione caussarum in sanguineam, et pituitosam, sive calidam, et frigidam fuit distributa. Sed haec divisio perfecta non est, ut §. 1012. sic fatetur Boerhaavius = Ex iisdem constat a diversis et oppositis qui-

dem caussis, morbum hunc saepe produci, adeoque bene dividi in sanguineam et pituitosam, sed non perfecta divisione, cum et serosa, et atrabilaria, et polyposa sit, et alia. = Etenim summus auctor quadruplicem et vetustam humorum divisionem sectabatur. In nosologiis permixtae fuerunt apoplexiae primariae, symptomaticae, secundariae, consensuales, traumaticae; hinc inter species inveniuntur apoplexia sanguinea, serosa, nervosa, inflammatoria, temulenta, hysterica, epileptica, verminosa, metastatica, traumatica, scorbutica, venerea, febricosa, polyposa, praecordialis, nephritica, narcotica, halituosa. Recentiores autem distinguunt apoplexiam in hypersthenicam, et hyposthenicam; sed haec etiam divisio absoluta non est; siquidem non ab hisce solis diathesibus apoplexia progignitur. Veteres aliam divisionem a vehementia morbi desumpserunt, ut in aphor. Hippocratis videre est, qui apoplexiam in levem et fortem dispertitur. Deinde Galenus Comm. in Coac. praenot. text. 476. in levissimam, levem, validam, validissimam. Prima cum

respiratio sit liberior; pulsus regularis; color faciei, et calor corporis fere naturalis: secunda, cum respiratio, et pulsus inaequalis, intermittens; color praeternaturalis; corpus subfrigidum: tertia cum respiratio difficillima; pulsus durus, varius; color perit; corpus alget: quarta, cum trahantur ronchi vehementissimi, aut nulla respiratio cum absint ronchi; pulsus nullus; facies cadaverosa; sudor frigidus, universus; circa os spuma; ani, et vesicae sphincteres omnino resoluti. Hujusmodi vero partitiones non indolem et originem morbi, sed solum symptomatum intensitatem respiciunt: Divisio autem omnibus utilior, et retinenda, quamvis non perfecta, est quae apoplexiam partitur in sanguineam, serosam, et nervosam. Tamen inter recentiores practicos alii hanc amplectuntur, alii respuunt, alii negant oppositam indolem apoplexiae sanguineae et serosae. Joseph Franch ab effuso humore seroso interdum in apoplexiis inflammatoriis adinvento, et ab effuso humore sanguineo iu apoplexiis non inflammatoriis deducit, hasce apople-

xias non esse inter se oppositas. Haec vero deductio non recta mihi videtur. Etenim ut deducatur opposita indoles non ad effusum humorem, sed ad complexionem caussarum, et symptomatum convertenda mens est. Apoplexiae inflammatoriae sunt encephalitides: ergo quid mirum, si serosus humor adinveniatur? In hoc casu, ut in reliquis inflammationibus, humores, qui per arteriarum poros exhalant, a vasis lymphaticis propter eorum sthenicam conditionem non absorbentur, si in capite hujusmodi absorbentia vasa non desint. Sic non miremur, si in aliis apoplexiis, etsi non inflammatoriis humor sanguineus reperiatur. Etenim in apoplexiis sanguineis adest plenitudo vasorum sanguineorum; in apoplexiis serosis propter diversas caussas augetur interdum arteriarum actio. Sed sectiones cadaverum confirmant, utplurimum in apoplexiis serosis serosum humorem, in apoplexiis sanguineis sanguinem diffundi.

§. 1532. Apoplexia dummodo fulminea non sit, ab aliquo signo praenuntiatur, ut est pertinax capitis dolor; gravedo;

sternutatio; obscuratio visus ; rumor aurium; pruritus ad frontem; somnus inquietus; somnia terrifica; profundus somnus; loquela blaesa; involuntariae lacrymae; dilatatio pupularum; tremor membrorum; distorsio oris; saliva ex ore fluens ; convulsivus labiorum motus ; involuntarius urinae exitus ; stridor dentium , aut stridor in somno ; muscae aut scintillae ante oculos ; rotatio oculorum; rubor tunicae albugineae ; oedema , et resolutio palpebrarum , quae promptam impedit palpebrae superioris elevationem ; diminutio memoriae , et virium intellectualium , unde minor in scribendo promptitudo ; vertigines ; tristitia ; difficilis deglutitio ; facilis lassitudo ; trahuntur pedes ; sensus formicationis in membris ; tactus, et omnium sensuum , et corporis partium stupiditas. Inquit Hippocrates coac. praenot. text. 476. = Νάρκαι καὶ ἀναισθησίαι γινόμεναι παρὰ τὸ ἔθος , ἀποπληκτικῶν συμβησομενῶν σημεῖον. Torpores , et sensus stupiditates , praeter morem contingentes , futurae siderationis signum sunt. = Cum vero apoplexia aggreditur , varius est aegro-

tantium vultus secundum morbi formam ; perduntur sensus, motusque voluntarii. Vultus itaque modo rubens , modo pallens; os distorquetur ; gena pendet ; oculus ejusdem lateris parvus , et in foveam fere immissus : haec vero symptomata modo deficiunt, modo sunt vix visibilia : saepe oculi suffecti sanguine , prominentes , fixi , truces , vitrei; pupula immobilis; clausae palpebrae; lacrymae fluunt, et saliva; extremitates nunc calidae, nunc frigidae ; irregulares membrorum motus ; spuma circa apertum os; pulsus tardi , duri , fortes , intermittentes, irregulares , molles , febriles ; sudores frigidiusculi circa caput ; respiratio gravis, stertorosa ; praeter voluntatem urinae et excrementa redduntur. Cum autem morbus minuitur , functiones gradatim in ordinem rediguntur ; recuperantur sensus : sed alicujus partis , aut medii corporis paralysis remanet , unde iteratum in morbum lapsum pertimescimus. Cum unum latus resolvitur , haec resolutio dicitur hemiplegia , plerumque tribuenda laesioni oppositae partis cerebri. Etenim nervi tam e cerebro,

quam e medulla oblongata prodeuntes fere ab oppositis plagis et originibus decussatim proficiscuntur; quamvis quaedam nerveae fibrae ab uno cerebri hemisphaerio ortae ad idem corporis latus eunt. Varias modo apoplexiae formas edisseram.

§. 1533. Apoplexia sanguinea adoritur ut plurimum plethoricos homines, et saepe sine signis prodromis. Ubi vero haec signa non desunt, ante accessum occurrunt sensuum hallucinationes; scintillae, et flammae post pastum, aut noctu; aurium sonitus; lassitudo; propensio ad somnum; vertigines; loquela non expedita; respiratio in somno stertorosa, tarda; pulsus tardi, fortes, pleni. Deficiunt prodroma cum apoplexia producitur a ruptura vasorum, aut a sanguine ad caput vehementissime propulso. Symptomata sunt facies ruberrima; interdum atro-rubra; turgor venarum oculorum, et temporum; calor capitis; oculi vitrei, semiaperti, prominentes; respiratio modo liberior, modo difficilior et stertorosa; pulsus prius magnus, plenus, vehemens, mox languidus, rarus; color, et

calor recedunt; respiratio fit rarior. Si vero apoplexia validissima sit, graves emittuntur ronchi; ingentes cruciant convulsivi motus; stridor dentium; vomitus; mors. Interdum invasionis momento corripit hemiplegia. Nonnunquam in hac apoplexia pallescit facies; sed hic pallor non a defectu sanguinis, sed a deficiente vita oritur. Cum autem aegri commodiori positu non locentur, augetur angor, praesertim stertor, et respirationis negotium.

§. 1534. Apoplexia serosa persaepe capit phlegmaticos, cachecticos, senes. Non est, ut sanguinea, adeo subitanea; et eam non raro praecedunt vertigines, torpores, memoria debilis, praepedita loquela, sopor: mox gradatim invadit accessus. Facies pallet, tumet; turgor, et prominentia venarum minor; pulsus depressus, parvus, languidus, irregularis, intermittens; respiratio anxia, et stertorosa; non statim perditur vocis, et linguae usus; identidem aperiuntur oculi, et os, unde magna copia lymphae desilit.

§. 1535. Apoplexia nervosa petit homines sensibiliores, spasmis, et animi pathematibus commotos. Praecedit virium, et sensuum externorum debilitas; vertigo tenebricosa; artuum gravitas; tremor; torpor; convulsivi impulsus. Cum vero properet paroxysmus, frigefiunt extrema; cutis fit arida; facies, et oculi interdum rubent; arteriae carotides validius et celerius pulsant; pulsus duri; nonnunquam frigus universale; pallidus vultus; oculi caligantes; pulsus tardi, exiles. Modo haec apoplexia levibus, modo gravissimis et lethalibus symptomatibus, sed rarius, stipatur; modo in hemiplegiam, aut partialem paralysim abit.

§. 1536. Apoplexia confundi non potest cum syncope, in qua cum sensu et motu respiratio deest, et pulsus; nec cum comate, lethargo, caro, in quibus soporosis affectionibus, si aegri alta voce vocentur, excitantur; nec cum epilepsia, in qua est membrorum agitatio; nec cum ebrietate, ex qua oppressi aegre expergiscunt, per plures horas graviter stertunt, et tandem ebrietas

saepissime sponte vanescit; nec cum encephalitide, cujus apoplexia symptoma interdum est.

§. 1537. Apoplexia traumatica a vulneribus, ictibus, contusionibus, commotionibus, lapsubus, cranii fracturis orta, secundum caussarum violentiam symptomata offert majoris vel minoris momenti. Interdum enim diffunditur sanguis, comprimitur, et inflammatur cerebrum: interdum homo exanimis occidit, sed mox revocatur ad vitam; nam resurgit pulsus, qui fit frequens, et vehemens, redit calor: interdum exilit sanguis é naribus, et contingit vomitus: interdum non colligitur spiritus, facies fit pallida, respiratio stertorosa, gravior, et tandem mors.

§. 1538. Apoplexiae symptomaticae, secundariae, consensuales ab aliis morbis, et morbosis partium affectionibus cognoscuntur. Apoplexia ex. gr. hysterica accidit in foeminis hystericis, eamque praevertit gravis et diutinus hystericus paroxysmus: sic apud homines hypochondriacos apoplexiam antecedit pertinax hypochondriae paroxysmus. Apoplexia epileptica supervenit

epilepsiae: apoplexia arthritica, si improviso cesset pedum dolor, et inde succedat vertigo, capitis dolor, sopor, amissio sensus, et motus: apoplexia febricosa est ut plurimum febrium intermittentium comes: apoplexia polyposa a polyposa concretione nasci creditur, et indicatur symptomatibus, quae de cordis, magnorumque vasorum vitiis testantur; ut pulsatio cordis, et vasorum colli vehemens; vertigo tenebricosa; respiratio difficilis, maxime motu corporis; pulsus, inaequalis, intermittens; animi deliquia: apoplexia rheumatica in illis evenit qui rheumaticis affectionibus laborant, et in quibusdam anni constitutionibus, eamque praegreditur coryza, articulationum, et musculorum dolores: apoplexia verminosa quae consensualis est, oritur ab irritatione vermium, qui in ventriculo, vel intestinis morantur, cognoscitur a foetidis dejectionibus, quibus saepe expelluntur vermes; bulimo, qui cum anorexia alternat; tensione fugaci, et dolorosa abdominis; pupularum dilatatione; et non raro antevertunt vertigines, fugientes genarum rubores, convul-

sivi motus: apoplexia metastatica deprehenditur ab aliqua metastasi, et ab exanthematum, impetiginum, aliorumque morborum repulsione.

§. 1539. Caussa proxima apoplexiae, quaevis ipsa sit, inter cerebrum et partes corporis sensui et motui dicatas communicationem adimit. Plurimae autem et inter se oppositae sunt remotae caussae; sed ab illis apoplexiae sanguineae incipiamus. Ad hanc praeparant temperamentum sanguineum; caput ingens; breve collum, et latum; obesitas; vita sedentaria; nimium corporis lacertosi robur; haereditaria dispositio; aetas a quadraginta ad sexaginta annos. Inquit Hippocrates Sect. VI. aphor. 57. = Apoplectici autem fiunt maxime, aetate ab anno quadragesimo usque ad sexagesimum. = Apoplexiam autem sanguineam excitant crapula, vehemens ira; repressae consuetae exonerationes sanguineae; omissa habitualis venae sectio; anni constitutio; tempestates pluviosae, et frigidae; ardens aestivus calor; repentinae aëris vicissitudines; sanguinis nimio impetu ad caput scandens;

somnus aequo longior; assiduae et profundae meditationes; detectum caput et calori solis expositum; abusus vini, et spirituum; caput etiam diu inclinatum; ligaturae et vestes nimis constrictae; inspiratio admodum ampla, et longa. Morgagni historiam narrat apoplexiae ab hac caussa productae in faecum expulsione obsecundanda. Facilis distensio, et ruptura vasorum sanguineorum, quae frequenter contingit in apoplexia sanguinea, non solum a nimia sanguinis plenitudine, sed etiam ab illorum dispositione, et structura. Etenim exiguae arteriae piae meningis, substantiae corticalis cerebri, plexuumque choroideorum, sunt tenuissimae texturae, earumque orbes flexuosi, et extremitates subtilissimae. Si vasorum plenitudo ea non dissolvat, saepe efficit, ut serosi humores a poris exhalantibus exeant, qui si non resorbeantur, cerebrum comprimunt.

§. 1540. Praedisponentes apoplexiae serosae caussae sunt temperamentum lymphaticum, debile, cachecticum; provecta aetas. Excitantes vero sunt affluentes serosi

humores, debilitas, et lassitudo cerebri; perspiratio e vestigio cohibita, unde ventis australibus vicissim spirantibus apoplexiae epidemice regnant; sic calor et frigus dum alternatim excipiuntur; vita inops; affligentia animi pathemata; perenne scientiarum studium; vigiliae; immodicae exinanitiones sanguineae; obstructiones viscerum; effrenata venus. In hac apoplexia contingit effusio seri, cujus interdum est potius quam copia, insimulanda indoles, unde cerebrum irritatur. Subitanea effusio seri apoplexiam efficit; sed si haec effusio lenta sit, et gradatim aucta, pressioni cerebrum, non secus ac in hydrocephalo, se assuefacit, ideoque apoplexia non consequitur.

§. 1541. Caussae, quae ad apoplexiam nervosam ordinant, sunt molle temperamentum; maxima nervei systematis sensibilitas; habitatio in locis insalubribus, humidisque. Caussae autem, quae huic apoplexiae ansam praebent, sunt affectus animi, praesertim tristitia, et improvisus timor; insomne studium; jacturae sanguinis;

venus frequens ; odores fragrantes; cubiculi parietes calce recenter illitae ; imminuta cerebri vitalitas. Ut plurimum nulla in cerebro invenitur humorum effusio, nec visibilis affectio.

§. 1542. Praeter caussas, quae propriae sunt apoplexiae sanguineae, serosae, nervosae, aliae sunt non infrequentes, ut ictus, contusiones, penetrantia vulnera, fracturae, et depressiones ossium cranii, exostoses interius penetrantes ; compressio venarum jugularium ; piae meningis crassities ; falx messoria vel ossea, vel cartilaginea. A pluribus etiam morbis, et a materiarum morbosarum metastasi non raro creantur apoplexiae, ut a calculis capitis, praecipue sinus longitudinalis, et etiam ab illis aliarum partium ; a dilatatione varicosa, et aneurysmatica vasorum cerebralium; durities ossea aut cartilaginea carotidum ; rigiditas ossea arcus aortae ; aliaque vitia magnorum vasorum, et cordis ; magni tumores circa collum ; pectoris hydrops ; epilepsia ; hysteria, et hypocondria ; affectiones gastricae, et verminosae ; retrocessio-

nes exanthematum, impetiginum, materiae arthriticae, rheumaticae, lactis; antiquorum ulcerum, et fonticulorum exiccatio.

§. 1543. Apoplexia est formidolosus morbus, et saepe lethalis; nam si quis evadat, in eum relabitur, et occidit sub ejus vehementiore recursu. Apoplexia sanguinea magis serosa, haec nervosa magis praeceps est. Sanguinea sine effusione sanguinis sanari potest; sed saepe amnesiam, et paralysim linquit; contra si diffundatur sanguis. Si haec effusio sit ad cranii basim, praecipue circa originem nervorum glossopharyngei, vagi, et hypoglossi, ut a laesa deglutitione, respiratione, et loquela cognoscitur, cito sequitur mors. Interdum apoplexia sanguinea levis est; ast saepius recurrit, et tandem haemorrhagia cerebri, omnium periculosissima terminatur. Apoplexia serosa est sanguinea minus gravis; sed saepe relinquit hemiplegiam, aut paralysin alicujus partis, amnesiam, et fatuitatem. Tamen interdum exitiosa est, maxime si improvisa et ingens sit serosa effusio, ut in hominibus aetate provectis usu-

venit. Apoplexia nervosa nonnunquam sponte solvitur; idque post aliquot horas vomitu, diarrhoea, sudore, urina, aut alia excretione, et ut plurimum nullam sequelam linquit, aut levissimam, ut aliquam et vix visibilem oris distortionem, quae inde oculis se subtrahit. Aliquando tamen mortifera est; cum scilicet rumpat vasa, aut cerebro, vel nervis sub ipso insultu aliquam afferat laesionem. Aliae apoplexiae sunt plus vel minus graves, secundum caussarum et symptomatum violentiam. Traumatica esse potest citissime mortalis, ut quae a gravissima cerebri laesione nascitur. Si a profundis vulneribus, vel a ruptura arteriarum, venarumque cerebri producatur, vix aliquod auxilium admittit. Apoplexia a vitiis cordis, magnorumque vasorum orta, saepe fulminea est. Quae est febrium intermittentium perniciosarum symptoma, usu praesertim peruviani corticis vinci potest. Sic medicabilis, quae excitatur a vermibus, et verminosa dicitur. Alea plena est quae oritur a metastasi, ut lochialis, et lactea; nam, si prompta non

fuerit curatio, intra paucas horas enecant. Insuper animadvertendum est, qui sit apoplexiae gradus. Dixit Hippocr. Sect. II. aphor. 42. = Solvere apoplexiam vehementem quidem impossibile: debilem vero non facile. = Tum apoplexia levis solvi potest, cum superveniat largus et aequalis sudor; urina reddatur copiosa, et crassa; abunde fluant haemorrhoides; restituatur menstruorum cursus; moveatur alvus; suscitetur febris. Si gravior sit apoplexia, ubi caussa superetur, saepe degenerat in paralysin alicujus partis, aut unius lateris corporis; laesiones judicii, memoriae, motuum relinquit, unde aegri soporosi, hebetes, pusillanimes, tremuli, vertiginosi remanent. Si apoplexia vehementissima sit, fulminis instar occidit, unde vulgo fulminea nuncupatur. Tandem symptomata sunt attendenda, quae vel boni, vel mali ominis sunt. Pertinent ad prima pulsus molles, et aequales; respiratio fere naturalis; membra modice calida; facilis deglutitio; urinae, et faeces voluntario redditae; vomitus, et alvus profusa, cum gastricae sor-

des in caussa sint ; intra viginti quatuor horas symptomatum levamen post institutam venae sectionem, et congrua exhibita remedia, scilicet facies accedit ad naturalem ; pulsus fit bonus, et respiratio liberior ; deinde porrecta pocula sumuntur, et hauriuntur, quin haustus vel per os, vel per nares refluant ; si aeger dum vellicetur palpebras moveat, et labia comprimat ; si iterum membra moveri incipiant. Praeterea utilis est haemorrhoidalis fluxus, ut docet Hippocr. Coac. praenot. 489. = Ἀποπληκτικοῖσιν αἱμοῤῥοΐδες ἐπιγενόμεναι, χρήσιμοι. Apoplecticis si haemorrhoides accedant, utile est. = Hic vero fluxus praecipue juvat, cum ejus suppressio fuerit caussa morbi. Proficuum etiam est sanguinis profluvium è naribus cum sudor aequabili, calido, sublevante. Interdum effusa epistaxis liberat etiam ab imminente apoplexia. Loquitur Lancisi de homine septuagenario, qui ab instanti apoplexia fuit liberatus per haemorrhagiam narium duodecim circa librarum sanguinis ; et mox per aliam effusionem quatuor librarum, quae post quinde-

cim dies contingit, perfecte sanatus. Prodest etiam abundans urinae separatio, quae leve et salinum sedimentum dimittat. Interdum febris salutaris est. Ait Hippocr. Sect. VI. aphor. 51. = Quibus sanis dolores derepente fiunt in capite, et statim muti fiunt, ac stertunt, in septem diebus pereunt, nisi febris apprehenderit = Haec vero febris esse debet ephemera, quae contingat inter initia in temperamento sanguineo; vel bilioso; aut acuta, quae superveniat phlegmaticis; et in utrisque humores intra vasa contineantur; nam si extra vasa humores diffunduntur, febris mala. Ut igitur febris commoda sit, maturius accedat, et satis sit valida, sed non inflammatoria. Febris enim exigua, nimis sera, inflammatoria, damnosa est vel inutilis. Interdum etiam auxiliatur febris, cum ebrietas in apoplexiam transeat. Inquit Hippocr. Sect. V. aphor. 5. = Si quis ebrius derepente obmutescat, convulsus moritur, nisi febris eum corripuerit, aut ad horam perveniens, qua crapulae solvuntur, vocem edat = Infausta vero signa sunt completa

abolitio sensuum, et motuum; perturbata circulatio; respiratio laboriosa, et stertorosa; praepedita deglutitio; in ipso insultu distensiones nervorum; vomitus irriti; involuntarius urinae et alvi fluxus; membrorum frigus, et torpor. Ait Hippocr. Coac. praenot- 478. = Ψύξιες δὲ καὶ ναρκώσιες, πονηρόν. rigiditates et torpores malum. = Etiam inter mala signa est sudor frigidus aut ex toto corpore, aut ex aliqua parte propter molestiam spiritus, ut eodem libr. Hippocr. 479. admonet = Εν τῇσι ἀποπληκτικῇσιν ἐπὴ τῇ δυσφορίῃ τȣ πνεύματος ἱδρὼς ἐπιγενόμενος, θανάσιμον In sideratis ex spiritus aegra latione sudor accedens, lethale = Pessima quoque sunt facies livida; paraplegia; stridor dentium; circa et ante os spuma; spiritus frigidus; convulsivi motus unius lateris, et ipsius pectoris; oculorum nebula. Laesio respirationis semper mala est; sed illa naturalis interdum infida, quod ab aliis gravibus et lethalibus symptomatis deprehenditur.

§. 1544. Interdum nulla in cadaveribus lustratur laesio; sed ut plurimum tu-

midum est caput, et aperto cranio vasa sanguinea meningum, cerebri, cerebelli, medullae oblongatae turgescunt. Cum apoplectici interclusa anima pereant, vix pericranium inciditur ab occipitalibus, frontalibus venis, omnibusque capitis partibus propter ingentem plenitudinem profunditur sanguis. In apoplexia sanguinea vasa, sinus longitudinales, et laterales sunt sanguine pleni, qui in ventriculos, inter meninges et cerebrum, per hujus substantiam, et subter cranium dispergitur. Saepe arachnoides opaca est, et crassa. Compacta subtantia cerebri, in qua plurima sanguinea puncta incisione cernuntur. Diffusio sanguinis invenitur in cerebri hemisphaerio, quod est lateri paralytico oppositum; licet interdum sectiones cadaverum contrarium ostendunt. In apoplexia serosa arteriae sunt fere vacuae, venae sanguine turgent; sed non ut in apoplexia sanguinea. Invenitur effusio seri in ventriculis, et inter ipsas meninges. Wepferus histor. apoplect. pag. 16. 344. refert, inter duram et piam meningem serum copiosum invenisse; inter meninges et ce-

rebrum ; ad cranii basim, et hinc in tubo spinae. Interdum aliqua sparsio seri super cerebri superficiem, et inter ejus anfractus aspicitur. Hoc vero serum vel est limpidum, vel turbidum, vel sanguineum, vel mixtum floccis lymphae coagulabilis, quod probat ante mortem subinde actionem arteriarum augeri. Aliquando autem loco serosi humoris cumulatur gelatinae species. Columbus de re anatomica lib. XV. pag. 265. 266. inquit multam aquam gelatinosam deprehendisse. Velamenta cerebri laxa sunt, ejusque substantia flaccescens. Saepe inanes sunt sinistrae cavitates cordis, et arteriarum rami, dum cavitates dexterae fusci sanguinis coagulationes continent. Pulmones laxi, et sero repleti. In nervosa apoplexia nullum saepe observatur morbi vestigium. In symptomaticis vero et secundariis apoplexiis plurima reperiuntur, ut dilatationes vasorum sanguineorum durae matris ; hujus callositas, et cranio adhaerentia ; cerebrum corruptum, liquatum; plexus choroidei erosi, rupti ; calculi; tumores ; hydatides circa corpus callosum, alias-

que cerebri partes ; glandula pinealis magnitudine nucis juglandis, dura, purulenta ; aneurysma carotidum ; aortae vitia, praesertim aneurysmata, polypi ; etiam vitia cordis ; cujus ventriculi dilatati, valvularumque osteogenesis; vena cava in pectore tumoribus compressa ; varii morbi pulmonum, hepatis, lienis, intestinorum, ut hepar tumidum, lien marcidus, intestinum ileum sphacelo dissolutum.

§. 1545. Apoplexia sanguinea abundantibus sanguinis missionibus, et lato vulnere factis curatur. Inquit Aretaeus de curat. morb. acutor. lib. I. Cap. 5. pag. 81. = Si minus detraxeris, quam caussa postulat, nihil magni per magnum auxilium conferes = Sed habenda est ratio ad aetatem, vires, temperamentum, pulsum, faciei ruborem. Sunt qui statim aperiunt arteriam temporalem ; alii venam jugularem, quam veteres apoplecticam vocabat, quia eam secare in apoplexia auxilium fert. Sed plerique prius venas brachii oppositi lateris secant, et plures sanguinis libras extrahunt. Alii eodem tempore venas utriusque

brachii, aut pedis incidunt, ut majore celeritate fiat a cerebro revulsio; sed hoc modo syncope lethalis potest evenire. Alii prius venas pedum scindunt; sed hoc nobis in quibusdam casibus faciendum est, ut cum apoplexia a retento haemorrhoidum, menstruorum, lochiorum fluxu procedit. Institutis sanguinis missionibus vel ex brachio, vel ex pede, si sensus et motus non redeant, et fixus haereat capitis dolor, temporales caedantur arteriae, et venae jugulares. Si hae venae non appareant, nec rescindi possint, quidam suadent venam frontis, aut venae sublinguales vulnerare, quod fieri sine gravi incommodo non potest. Dum venae jugulares sauciantur, abstinendum a vinculo, sed digitis comprimantur. Ut vero scindantur raninae, calida teneatur in ore, ut ipsae tumeant. Juvant etiam cucurbitulae scarificantes occipiti, syncipiti, colli lateribus, aliisque partibus: sic hirudines temporibus retro aures, vasis haemorrhoidalibus, maxime si apoplexia a suppressis haemorrhoidibus, menstruis, et ab affectione hypochondrica promanet. Applicentur

vero hirudines ad utrumque nasi foramen, si morbi caussa sit epistaxis cohibita: aut apponantur in universo corpore, aut in pluribus hujus partibus, si forte venae aperiri non possint. Si apoplexia ab effusione humorum producatur, veteres, praesertim Themison, et Caelius Aurelianus terebrationem proposuere, quae deinde adversarios et fautores habuit. Haec vero operatio periculosa est et dubia, quia desunt certa effusionis signa; nosque fugit ubi haec effusio sistat. Educto sanguine, danda sunt eccoprotica, quae si alvum non moveant, ad fortiora recurrendum est, ut sunt jalapa, syrupus de spina cervina, colocynthis, etc. Si vero deglutitio impediatur, et materiae sint intestinorum expellendae, ex solutione saponis clysteres injiciantur. Quidam proponunt emeticum, quod fugiendum est, sive vasa sint sanguine plena, sive disrupta. Proposita etiam sunt errhina, ut ad narium vasa ferantur humores, et promoveantur lacrymae. Haec vero ut suspecta habeantur; et si quid naribus admovere velimus, vini acetum aptum est

et innocuum. Praeterea revellentia utilia sunt, ut balnea tepida pedum, frictiones, epispastica, sinapismata, vesicantia nuchae, femoribus, cruribus. Denique ut ad naturalem conditionem revocetur cerebrum, locum habent nervina, ut aether, liquor anodynus mineralis Hoffm., spiritus C. C., camphora. Curationis tempore linquenda non sunt diluentia et resolventia, ut decoctio hordei simplicis, aut cum oxymelle; serum depuratum. Veteres porrigebant dilutiora jura, quibus incoquebantur temperatiores herbae cephalicae, ut melissa, et flores primulae veris, quae olim ut antispasmodica, et cephalica celebrabatur. Mox gradum ad ea faciebant, quae potentius attenuant, resolvunt, et excretiones per cutim, et renes promovent, ut est stibium diaphoreticum, nitrum stibiatum, cinnabaris factitia. Pluries horum remediorum utilitatem vidi, praesertim cinnabaris factitiae. Curandum est, ut caput servetur acclive, et nudatum; corpus resupinum; demissi, et obtecti pedes; aër subfrigidus, et renovatus.

§. 1546. Si apoplexia sit serosa, et aeger boni habitus, et aliqua sit vasorum plenitudo, prudenter educatur sanguis; quod non fiat debilibus, senibus, et macie confectis. Ubi anceps sit venae sectio, satius est cucurbitulas scarificantes, et hirudines admovere. Praeterea purgantia, vesicantia, nervina, urinas promoventia expediunt. Emetica non sunt ut in apoplexia sanguinea adeo timenda; sed ea tutius est fugere. Opportuna sunt cathartica hydragoga, ut sal anglicanum, cremor tartari, diacrydium, pulvis cornacchinus; pilulae de succino Cratonis, mercurius dulcis. Enemata quoque acriora sint. Interius adhiberi solent spiritus fuliginis, spiritus C. C., quibus superbibuntur decoctiones majoranae, betonicae; aut infusiones serpentariae, vel valerianae sylvestris. Exterius vesicantia capiti, spinae dorsi, extremitatibus; sinapismi; frictiones crurum; setacea; fonticuli prope caput; pediluvia tepida.

§. 1547. Si curauda sit apoplexia nervosa, vitentur quae acrius irritant, nam saepe ipsa vesicantia nocent. Generatim con-

veniunt eccoprotica, ut oleum amygdalarum dulcium, olivarum, seminum lini, aut ricini; magnesia alba; et serum depuratum, ut laxentur spasmi, emendentur humores, detrudantur saburrae, et sensibilitas et irritabilitas mitigetur. Fugiantur emetica, quae spasmos possunt augere. Usurpentur antispasmodica, sed temperatiora, ut sal volatile succini; liquor C. C. succinatus; tinctura succini, castorei; liquor anodynus mineralis Hoff., flores zinci; sal sedativum Hombergii; aquae nucium viridium, cerasorum nigrorum; aqua hysterica Quercetani. Fiant balnea tepida pedum; fotus, et emollientes clysteres.

§. 1548. In omni apoplexiae casu ante oculos habenda caussa est. Si enim proveniat ab externis violentiis, curatur sanguinis missionibus, chirurgiae auxiliis, et nonnunquam terebratione. Si os sit depressum, terebra elevandum; si fractum auferendum, ne cerebrum pressionem patiatur. Si a fumo carbonum, et mephiticis exhalationibus, locandus est aeger ubi liber spiret, et subfrigidus sit aër; large traha-

tur sanguis, potissimum a venis jugularibus; immittantur clysteres ex aqua cum aceto; naribus admoveantur volatilia; in ore et in faucibus instilletur acetum, sed caute ne in glottidem descendat; et dum redeunte anima incipiunt motus, porrigatur aqua cum aceto bibenda. Utilis est aëris insufflatio in pulmones tubuli recurvi ope, qui alterutram narem immittitur, altera compressa digitis. Haec ratio praeferenda est illi, qua immittitur tubulus in os; nam aut deprimitur epiglottis, et aëris ingressus impeditur in laryngem; aut aër pellitur in oesophagum. Rejicienda sunt emetica; et clysteres ex tabaci fumo, quibus inflata intestina motui diaphragmatis obsistunt; et per narcoticam remedii virtutem augetur morbus. Extremum auxilium tracheotomia est. Si vero caussa morbi sint res fermentantes, et cloacarum mephitis, adhibetur alchali volatile, quod vim nerveam et torpentem irritabilitatem excitat. Si comesti boleti, aut narcoticae substantiae, hae primum sunt vomitu exigendae; deinde detur acetum, et acidi succi vegetabilium. Si

autem vomitus vel spontaneus, vel a tartaro emetico excitatus non juverit, secetur vena, et irritantes injiciantur clysteres. Tandem interna et externa stimulantia eligantur, ut sal volatile alchalinum; semina rafani rusticani, cochleariae, vel aliarum plantarum aromaticarum; quarum aut substantia ministrari potest, aut olea essentialia, aut tincturae. Applicentur naribus et temporibus volatilia; fiant ad pectus et ad dorsum rubefacientes unctiones; frictiones cum panno laneo, aut strigili; calidi fotus ad extremitates; vesicantia et sinapismi apponantur. Curatio etiam variat, si apoplexia symptomatica sit, vel secundaria. Itaque si sit arthritica, praemissis sanguinis missionibus, et illis quae pro sanguinea apoplexia fieri solent, ponantur pedibus sinapismi, ut revocetur arthritis: si sit febrium perniciosarum symptoma, praecipuum remedium est cortex peruvianus; si inflammationis cerebri, curatio ab illa encephalitidis non differt. Si apoplexia proveniat ab aliqua metastasi, morbosa materies advocetur ad propriam sedem, et omne

genus revulsionis, et exonerationis excitetur, praecipue diuresis, et diaphoresis.

§. 1549. Plures sunt apoplexiae reliquiae, inter quas est alicujus partis paralysis. Remedia plerumque sunt attenuantia, resolventia, evacuantia, nervina, excitantia, ut mercurius dulcis; decoctiones lignorum diaphoreticorum, nempe guajaci officinalis, juniperi communis, lauri sassafras; radicum sarsaeparillae, bardanae, chinae orientalis, rubiae tinctorum; jura viperina; serum lactis, aut simplex, aut cum incoctis plantis cichoraceis, cephalicis, antiscorbuticis; balnea, et stillicidia aquarum thermalium, earumque luta medicata; electricitas; vectio; aëris mutatio. Adversus paralyses celebrantur flores arnicae montanae, qui resolventem et excitantem habent vim. Hemiplegiaci citius recuperant motum pedum et crurum, quam brachiorum et manuum. Rationem probabilem ita Burserius offert Inst. Medic. pract. Vol. V. §. CXLII = Caussam Hippocrates lib. de morb. virgin. p. 2. in venarum rectitudine sibi confingit. Verum verosimilius

est, eos nervos citius restitui, qui ab ea spinalis medullae parte prodeunt, quae longius distat ab sede caussae morbi, uti sunt, ni fallor crurales = Inter paralyses frequens est illa palpebrarum, cui auxiliatur stillicidium ad cervicem et occiput aquis communibus vel thermalibus. Si contingat linguae paralysis, oleum stillatitium cinnamomi linguae imponatur, quod ad aliquot guttas saccharo excipitur. Alii secundum Laurentium Medic. Bened. XIV. spiritu cerasorum nigrorum perfricant linguam. Alii è raninis trahunt saguinem. Haec vero remedia pro diversis casibus sunt adhibenda. Partes pertinaciter paralysi affectae, flagris urticis vexari solent, et in vinacea recentia immerguntur.

§. 1550. Magni tandem interest statuere diaeteticum regimen, ne redeat morbus. In vigore morbi victus sit tenuissimus; mox aliquid concedatur. Repudianda sunt inflantia, viscosa, tenacia, acria, calefacentia, nimis nutrientia, vinum dulce. Nunquam post pastum obdormiscere, nec se movere; in somno elatum caput servetur;

temperies cubiculi subfrigida sit ; aër renovatus; animi quies. Nil enim deterius, quam mentis tumultus , praesertim ira. Praeterea vitetur frigus ; humiditas ; actio meridiani solis , et ignis ; non constringatur corpus vestibus , aut ligaturis; lubricus sit venter. Apoplexiam sanguineam perpessi , linquant vini usum, et coenam, aut haec sit tenuissima ; nutriantur potius vegetabilibus, fructibus , et rebus acescentibus ; vix sanguis aliquantum abundat , maxime quibusdam anni temporibus, ut circa aequinoctia, non omittatur venae sectio ; servetur alvus libera clysteribus , vel aliqua cremoris tartari dosi , et in quibusdam casibus aloeticis , quae saepe utilem haemorrhoidalem fluxum cient. Saepe utor sequenti formula. R.[e] Rhabarb. pulver. ʒij , Extr. aloes aquosi ʒj , syrup. cichorii q. s. f. pilul. granor. trium , quae folio aureo obducantur. Harum pilularum quatuor , vel sex sumantur ad noctem.

Catalepsis

§. 1551. Catalepsis habet tres gradus, quorum primus dicitur ecstasis; secundus vere catalepsis; tertius catochus. Ecstasis, ἔκστασις, ab ἐξίστημι, obstupefacio, est profunda contemplatio, vel talis super aliquod objectum mentis attentio, ut distrahi non possit, et in illa aeger maneat positione, quam habebat sub insultus initio. Catalepsis, κατάληψις, a καταλαμβάνω, deprehendo, est sensuum et motuum voluntariorum suppressio, manente pulsu et respiratione, unde aeger remanet immobilis, sed cum mira flexibilitate ad retinendos et suscipiendos motus, qui membris dari velint. Catoche, catochus, κατοχή, κάτοχος a κατέχω detineo, est inflexibilitas et rigiditas membrorum, qua accedit tetano. Ab hoc vero distat catochus, quia diuturnus morbus est, et in quo nulla est pectoris agitatio, et respirandi difficultas, quae quidem magna est in tetano.

Veteres agitabant quaestionem, an catalepsis idem sit morbus ac catochus. Plerique judicarunt, nullum esse discrimen; alii esse coma vigil, quia est in somnum propensio sine somno, unde oculi manent aperti, et servatur naturalis color. Si vero observationibus traditis fidendum sit, catalepsis non differt a catocho nisi gradu, ut a definitionibus luculenter apparet. Catalepsis autem ab auctoribus in perfectam aut veram, et imperfectam aut spuriam dividitur. Prima est quam definivimus; altera cum aeger sensu et motu caret, et in situ, quem habebat sub initio insultus, moratur, sed artus positionem, quae his datur, non retinent.

§. 1552. Quicumque sit gradus, hic morbus est primarius, symptomaticus, secundarius, periodicus, simplex, complicatus. Primaria catalepsis rara est, et ejus paroxysmi quoad numerum, et diuturnitatem discrepant; nam modo post aliquot dies redeunt; modo post plures menses; modo ad aliquot horas, modo ad tres dies extenduntur, sicut apud Forestum, Aetium, aliosque scriptores legitur. Sym-

ptomatica, et secundaria a morbis oritur sive acutis sive chronicis. Periodica quodam ordine, et interdum post longa intervalla revertitur. Complicata aliis morbis jungitur, ut affectioni hystericae, et hypochondricae, somnambulismo, etc.

§. 1553. Cum ecstasis accessio appropinquet, quaedam signa prodroma sub observatione cadunt. Talis enim est gestus et facies, ut mens in alicujus rei investigatione versari videatur. Cum vero aggreditur morbus, aeger est sicut profunda contemplatione demersus; non movetur; feriantur externi sensus; oculi aperti et fixi haerent, interdum arcana, mystica sublimia proferuntur; interdum fit silentium; interdum vario idiomate habetur sermo; interdum voces et gestus caelestes visiones declarant. Haec ecstasis non est cum illa Sanctorum confundenda; nam una a morbo, altera a Dei spiritu manat. Aliquando paroxysmus solvitur; aliquando in veram catalepsin, aut in catochum, aut in aliam convulsivam affectionem mutatur. Quidam post paroxysmum narrant visiones et simulacra, et futura praedicunt.

§. 1554. Raro catalepsin praecedunt prodroma; tamen interdum non desunt, ut vertigines, tremores, oscitationes, lassitudo spontanea, stupiditas; capitis gravitas, et dolor; oculi caligantes; aures tinnientes; colli tensio, et dolor; rubor et pallor vicissim in facie; nausea; cardialgia; anxietas; oesophagi constrictio; animi deliquia. Cum vero catalepsis impetit, aeger manet immobilis; sensu et motu orbatur; silet; oculi modo clausi, et ubi palpebrae removeantur, sponte relabuntur; modo reclusi, et defixi, quin videant; pupulae actionem lucis non sentiunt, et ideo non contrahuntur. Cutis etiam non percipit stimulos; stringitur; urinae non redduntur; facies est naturalis coloris; tumescit abdomen; pulsus varius, ut et respiratio. Ille enim nunc naturalis, nunc magnus, aut rarus, languidus, lentus, debilis, frequens; haec nunc consueta, nunc lenta, nunc vix percipienda. Paroxysmus quoad durationem dissimilis est; nam ad dimidiam horam, aut ad plures horas, et ad viginti quatuor porrigitur. Post paroxysmum sicut aegri essent

somno expergefacti, oscitatione et pandiculatione, suspiriis os movent et labia. Hoc temporis momento quaedam observatione digna contingunt. Etenim alii sermonem inceptum et morbo interruptum resumunt; et ubi forte aliqua vox fuerit dimidiata, ab interrupta hujusce vocis medietate rursus inchoatur sermo: alii vero supersunt immemores, tristes, melancholici, debiles, vertiginosi, epileptici.

§. 1555. Raro etiam signa prodroma antevertunt catochum, quae si adsint ab illis catalepsis non differunt. Qui laborant catocho dicuntur detenti, κατεχόμενοι, quia rigidi, et distensi jacent, reseratis oculis et immobilibus, collo immoto, appressis maxillis, musculis massetere et temporali duris et tumentibus; sed respiratio est naturalis, et auditus etiam aliquantum permanet.

§. 1556. Nil interest veterum et recentiorum de caussa proxima hujusce morbi exponere hypotheses, ideoque sufficiat dicere, transactis annis hanc reponi caussam in impedito influxu liquidi tenussimi

in nervos ad voluntarios motus et sensus dicatos; libero, naturali, et etiam vehementiore hoc perstante influxu in nervos actionibus vitalibus inservientes. Haec vero caussa se in occultum abdit, et nunquam forsan detegi poterit. Quoad ecstasin, qui in cerebro admittunt imaginationis organon, dicunt abstrhai mentem, si illud laedatur, unde visa, spectra, monstra oriuntur, dictu mirabilia. Ecstasis vero caussa esse videtur nervei systematis non definita perturbatio. Ab hac etiam perturbatione nasci videtur catalepsis, et catochus, quae vero talis est, ut omnem eripiat communicationem inter animam et commune sensorium, scilicet efficit, ut anima impressiones externorum objectorum non percipiat, nec motus componat, qui voluntatis imperio subjiciuntur; dum in musculis remanet vis, qua sustinetur corpus, et membra posituram, quae ipsis datur, conservant, aut sistunt rigida, et inflexibilia. Propensi sunt ecstasi homines pii, et rebus divinis addicti; agitati animi pathematis; studiis et rerum investigationibus dediti:

catalepsi, et catocho pueri; foeminae, praesertim hystericae, quae fibras molliores, et sensibiliores habent; homines hypochondriaci, et melancholici. Excitant ecstasin studia meditationes, animi affectus, infortunia: catalepsin, et catochum gastricae sordes, abusus vini, carbonum fumus, habitatio in locis frigidis, mastrupatio, immodica venus, tristitia, terror, ira, odium, antipathia, externae laesiones. Notissima est historia a Rondelet relata lib. I. cap. 20. quae nupta sibi odioso viro ex moerore in catalepsim inciderat, cujus paroxysmis implicabatur, quoties vel maritum videret, vel de eo audiret, vel cogitaret. Saepe vero catalepsis et catochus ab aliis morbis oriuntur, ut ab affectione hysterica et hypochondriaca; a retropulsis impetiginibus; a lumbricis et ascaridibus intestinorum; a febribus intermittentibus quartanis, aut longis aut inconsulto subjugatis; a cerebri affectionibus; ab obstructionibus viscerum abdominalium; ab uteri, et ovariorum vitiis.

§. 1557. Interdum ecstasis in catalepsin, catochum, aut melancholiam trans-

fertur. In nosocomio dementium est puella, quae ab amasio relicta, prehensa fuit ecstasi, quae paullo post transit in catalepsin, et tandem in fatuitatem. Catalepsis et catochus a pluribus practicis habentur ut affectus alea pleni, et inter eos est Boerhaavius, qui §. 1043. inquit = In alios morbos raro transit; aliquando tamen epilepsia, convulsio, dementia, ἀτροφία eum exceperunt; in mortem plerumque finitur. = Hoc vero non confirmatur; nam non raro vitae generis mutatione resolvitur. Expendantur itaque caussae et symptomata, et observetur, an in alium morbum contingat transitus. Non urget enim tam grave discrimen, si caussae sint leves, ut vermes intestinorum; gastricae impuritates; studia; meditationes: contra si caussae sint graviores, ut humores venerea lue contaminati; laesiones viscerum, abdominalium; vitia cerebri. Sic interdum paroxysmi sunt breves, et symptomata non adeo saeva; interdum paroxysmi sunt longi, et symptomata immania, ut dejectae vires, respiratio laboriosa, oculorum strabismus, excremen-

ta repressa. Dubius est morbi exitus, et saepè lethalis, si in epilepsiam, apoplexiam, paralysin, melancholiam, convulsiones, cachexiam, et hydropem abeat. Si succedat dementia, facultates intellectus aegre recuperantur. Aliquando catalepsis haemorrhoidum, et menstruorum fluxu, aut alia exoneratione discutitur. Inquit Tissot, vidisse catalepsin a gastricis sordibus productam, vomitu solutam. Dari etiam potest critica catalepsis. Ait Kleinius Interp. Clinic. pag. 45. = Novimus catalepsin in pleuritide critice critico die incidentem in foemina = Sectione cadaverum praeter diversa pulmonum, hepatis, ovariorum, aliorumque viscerum abdominalium vitia inveniuntur in capite vasa sanguinea cerebri et cerebelli sanguine turgida; sanguis et serum in parte posteriore cerebri diffusum; concretiones polyposae in sinu longitudinali; cerebrum anterius durius, posterius, mollius; in eorum origine nervi tenues et sicci.

§. 1558. Curatio alia est paroxysmi tempore, alia extra. Quoad primam, minuenda est spasmorum molestia, quod as-

plicatio hirudinum partibus verendis: si collectio serosa, ut a pallore et oedemate faciei, et pravo corporis habitu cognoscitur, cathartica, hydragoga, diuretica: si abstinentia a venere, ut apud homines bene moratos et religiosos aliquando evenit, connubium suadendum est.

GENUS SECUNDUM

Cephalalgemata

§. 1559. Capitis dolores graece dicuntur cephalalgemata. Hi plures sunt, et propter variam sedem, et acerbitatem diversis appellantur nominibus, ut cephalalgiae, si diuturna non sit capitis gravitas, et dolor; otalgiae, internus dolor aurium; odontalgiae, pulsatilis et rodens dentium et maxillarum dolor, vigilias et ptyalismum afferens. Hujusmodi dolores, ut reliqui, vel primarii sunt, alia secum symptomata ducentes, primariumque morbum constituentes; vel symptomatici, aut secundarii. Non

stipantur febre, et indolem nervosam ostentant, et ab iisdem fere caussis, nempe irritatione, pressione, distractione, laesione nervorum nascuntur.

§. 1560. Dolores, quibus conflictatur caput, sunt plus vel minus molesti, graves, periculosi. Saepe operatur natura ad horum morborum resolutionem, unde veteres in arte magistri dicebant, symbolam suam conferre. Interdum vero hoc non contingit, utpote natura aut est iners, aut impotens, aut devicta morbo; et tum ars vel est naturae auxiliatrix, vel hujus defectui supplet. Remedia plura esse possunt, ut venae sectiones, laxantia, anodyna, resolventia, emollientia, demulcentia, edulcorantia, narcotica, quae pro variis caussis, variisque symptomatis sunt eligenda.

Capitis dolor.

§. 1561. Qui proprie capitis dolor vocatur, aut in membranis cerebri, aut cerebro et cerebello. aut medulla oblongata, aut cranii tegumentis, musculis subjacentibus, galea aponeurotica, et cranio ipso sedet. Hic dolor est generatim molesta capitis gravitas, compressio, distensio, punctio, persaepe cum vehementi unius vel utriusque arteriae temporalis pulsatione. Pro varia sede, origine, diuturnitate, indole, habet diversa nomina; scilicet dicitur cephalalgia, κεφαλαλγία, cum dolor non est tam gravis, et pertinax, modo universum caput, modo unam hujus partem occupans: cephalaea, κεφαλαία, cum dolor est ingens, continuus, diuturnus, universum caput obsidens: hemicrania, ἡμικρανία, cum dolor medietatem capitis usque ad suturam sagittalem invadit, modo continuus, modo periodicus: ovum cum dolor

ad exiguam capitis partem circumscribitur: clavus ad minimam, sed intolerabilis est. Dolor autem capitis vel externus, vel internus est. Ille in integumentis cranii, et subjectis musculis, galea aponeurotica, pericranio, cranio; sed praesertim in pericranio, quod est tenuis, et subtilis membrana, arteriis conspersa ab externa carotide venientibus, et a nonnullis nervosis filis, quae a vertebris colli, et septimo nervorum pare manant; alter in membranis cerebri, cerebro, cerebello, medulla oblongata, sinubus, vasis, nervis, glandulis encephali propriis, aut plurimis hisce locis figitur. Praeterea est capitis dolor primarius, symptomaticus, secundarius, sympathicus, traumaticus, brevis, continuus, periodicus, sanguineus, serosus, pituitosus, biliosus, convulsivus, febrilis, catharralis, rheumaticus, arthriticus, venereus, scorbuticus, scrophulosus, gastricus, catamenialis, haemorrhoidalis hystericus, hypochondriacus, etc.

§. 1562. Cognoscitur cephalalgia a gravitate, punctione, distensione dolorosa capitis, plerumque cum ingenti arteriarum

temporalium pulsatione, aucto calore, saltem frontis et temporum. Cephalalgicus dolor nunc ad paucas horas, nunc ad aliquot dies extenditur, nunc extemplo, nunc gradatim vanescit, sed saepe post tranquillum somnum. In quibusdam non redit; in aliis raro; in aliis frequens, et habitualis est. Cephalaea vero a pertinaci et vehementi totius capitis dolore, qui per plures hebdomadas, menses, et annos moratur; sed interdum periodice recurrit. Subinde tanta est violentia doloris, ut ad desperationem adigat. Quoniam aequalis non est doloris ferocia, diuturnitas, et frequentia, dissimilia sunt symptomata observatione digna, ut facies modo pallida, et tumens; modo rubicunda, arida, sudans; modo attonitorum similis; delirium, vigiliae, lipothymiae; vomitus aeruginosi cum levamine; oculi referti humore, et livescenti circulo circumdati; sensuum externorum debilitas, praecipue visionis, auditus, odoratus, quamvis interdum auditus fit acutissimus, et susurrus auriumque tinnitus fatigant; pulsus plenus, contractus, frequens, lentus;

capilli fiunt rari, et decidunt. Hemicrania obsidet medietatem cranii, sed circa tempora, frontem, oculos sensibilior est. Modo continua est, modo periodica, cui nomen larvatae febris imponitur, et persaepe incipit solis ortu, saevior fit ad meridiem, mitescit et cessat declinante die; sed aliquando circa vesperam suam inchoat periodum. Quoniam hemicraniae sedes est in sinubus frontalibus et in orbita, oculi globus, qui lucem non tolerat, trahitur; cadunt lacrymae; obstruitur naris, et instat coryza; auditus fit acutior; tenduntur arteriae temporales; partes maxime afficiuntur, quae ex quinto pare recipiunt nervos, ideoque dolent, et strident dentes, gingivae tumescunt, profluit saliva, maxilla inferior aegre movetur, difficilis est loquela, vox vel acuta vel profunda, pulsus in principio contractus et frequens. Ovum ab exiguo loco doloris, clavus a minimo distinguitur, sed saepe non desunt symptomata, quae a saevitie ipsius doloris nascuntur, ut saepe vomitus est. Cum capitis dolor est externus, non laedit cerebri functiones;

compressione exacerbatur; crines fere rigent. Internus vero dolor comitatur stupore mentis ; oculis caliginosis , inflammatis , lacrymosis ; auditu gravi , tinnitu , strepitu aurium ; vertiginibus ; vomitu ; defectu vocis ; deglutitione laesa; delirio; membrorum tremore; contractione et dolore musculorum colli et mandibulas adducentium. Quum hic dolor in medulla cerebri residet , etiam ad externas capitis partes diffunditur.

§. 1563. Sunt signa quae morbi caussas indicant , ut si dolor a nimio sanguine nascatur , id cognoscitur a temperamento plethorico , aetatis flore, haemorrhagiis suppressis , rubore faciei et oculorum , turgore venarum et arteriarum , pulsu pleno , calore circa frontem , vehementi arteriarum temporalium pulsatione , intolerantia lucis, tinnitu aurium , gravitate ad frontem cum difficultate cogitandi, disserendi , resque in mentem revocandi , somnolentia , vertiginibus ; et etiam a vitae genere praesertim a nimis sumpto vino , et abundanti victu. Si contra caussa morbi sit exuberantia seri , cacheticus est corporis habitus , devexa aut

puerilis aetas, facies pallida tumida, membra etiam pallentia et frigida, subsidentes venae, propensio ad somnum, torpor, vertigo, sopor; et evidentes sunt caussae, quae hanc seri colluviem praecesserunt, et ampliarunt. Si vero caussa sit nimis exquisita nervei systematis sensibilitas, dolor capitis est ad periodum proclivis, ut chordae tenduntur arteriae temporales, pulsus est contractus et frequens, corripiunt convulsiones; non parum etiam animi pathemata, multaeque lucubrationes ad hunc gignendum dolorem saepe contribuunt.

§. 1564. Primaria affectio ostenditur a propriis signis, cum dolor capitis symptomaticus est vel sympathicus. Dum illa est gastrica non desunt nausea, oris amarities, ructus, vomitus, gravitas, et dolor ventriculi. Si vermes in sinubus frontalibus lateant, dolor haeret ubi est uterque sinus frontis, frequentia sunt sternutamenta, nares arescunt, aut plus una altera madescit, vexat pruritus, vertigo, sensus erosionis, et motus, ut si qua reperet bestiola, odor foetidus emittitur a naso. Capitis autem dolor symptomaticus a

primario morbo mutuatur nomen, ut cephalalgia catharralis, hysterica, cephalaea venerea, scorbutica; hemicrania odontalgica, nephralgica, etc.

§. 1565. Capitis dolor, cui quaevis aetas obnoxia est, eandem habet caussam proximam ac quivis alter nerveus dolor, scilicet irritationem, distensionem, et compressionem nervorum. Caussae praedisponentes sunt temperamentum debile et admodum sensibile; vita sedentaria; summum ingenium; haereditarium jus; sexus foemineus. Caussae excitantes sunt vehementia circulationis sanguinis, hujusce nimia quantitas; sanguis interdum in sinubus durae matris concrescens; seri colluvies, praecipue inter membranas cerebri, et in ejus ventriculis; acris indoles ejusdem seri; praepeditae consuetae exonerationes sanguinis; exiccata ulcera; hydatides; vermes, potissimum intra frontales sinus; abusus vini, et liquorum spirituosorum; insolatio; immodicus calor, aut acre frigus; venti australes assidue perflantes; gastricae impuritates; odores fragrantes, et

insuaves; capillitium spissum, et prolixum; somnus nimis productus; fumus carbonum; vinum mutatum sulphure, et plumbo; vestes arctae; immodica venus; animi tumultus; repressus sudor pedum, vel fluxus ex auribus serosi humoris. Plurimi autem sunt morbi, qui capitis dolorem afferunt, ut febres, inflammationes, exanthemata, impetigines, podagra, rheuma, scorbutus, lues venerea, rachitis, scrophula, tumores, vitia, et prava cranii conformatio; dura mater firma, et ossea; affectiones spasmodicae; menstrua, et lochia repressa; arefacta ulcera. Dolor autem capitis traumaticus oritur a vulneribus, compressionibus, fracturis ossium cranii, corporibus peregrinis vel in meatum auditorium, vel in cavitates nasales illapsis.

§. 1566. Cephalalgia periodica sanabilis est, et illa quae gradatim per aliquam excretionem mitescit. Inquit Hippocr. Sect. VI. aphor. 10. = Caput dolenti et circumdolenti, pus, aut aqua, aut sanguis fluens per nares, aut os aut aures solvit morbum. = Interdum etiam solvitur per sputa crassa et inodora, per alvi profluvium,

et per ulcuscula superficiei corporis. Cephalaea pertinax est periculi plena, praecipue si a carie cranii producatur. Haec vero caries interdum provenit ab ipsa saeva et diuturna cephalaea, ut etiam alia mala; potissimum convulsiones in foetum gerentibus. Hemicrania saepe tenax est, et per plures annos affligit. In foeminis effoetis indomita est, praecipue si certam sumat periodum. Interdum mutatione aetatis, quia nimia minuitur sensibilitas, augeturque robur hemicrania cessat. Quod de hac dicimus, de ovo, et clavo dicendum est. Si dolor capitis internus sit, et gravis, abire potest in coecitatem, epilepsiam, sphacelismum, et mortem. Si complicatus, ab ipsa complicatione deducitur discrimen; si traumaticus ab accepta laesione. Symptomaticus interdum est levis, ut ille a gastricis impuritatibus, et vermibus; interdum gravior, ut rheumaticus, podagricus, scorbuticus, scrophulosus, rachiticus, venereus. Hi enim dolores in plus vel minus grave conjiciunt periculum, ut ex. gr. rheumaticus non raro cerebri inflammationem,

et serosas diffusiones adducit: venereus noctu auctus, aliis venereis symptomatibus adjungitur, ut doloribus osteocopis artuum; sed quamvis non sine negotio, mercurii tamen usu submittitur. Quivis autem sit capitis dolor, ejus gravitas a natura caussarum deprehenditur. Si igitur hic dolor veniat a nimio sanguine, unde sanguineus vocatur, saepe per naturae conamen, et artis auxilium resolvitur; sed interdum producit diffusionem sanguinis, et apoplexiam: si a nimio sero, est diuturnus, sed minus periculosus, dummodo internae cerebri partes non laedantur; interdum hic dolor linquit caput, aliasque corporis partes aggreditur: si a nimia nervorum sensibilitate, mutatione aetatis, climatis, auctoque solidorum robure disperditur. Symptomata tandem quae capitis dolores comitantur, bonum vel malum omen aperiunt. Laeta signa sunt, sanguis ex naribus cum levamine; fluxus haemorrhoidum, et menstruorum; alvus etiam fluxa; materiae purulentae per aures, et nares currentes; somnus quietus, et restaurans; ulcerum eru-

ptio ; dolores articulorum. Haec in variis libris digerit Hippocr. ut aphorismor., judication., Coac. praenotion., sicut non linquit infausta. Inquit enim Coac. praenot. 517. = Uterum gerentibus dolores capitis soporosi cum gravitate oborti ac convulsione, plerumque mali sunt = Hinc 160. = Capitis dolor pertinax cum febre acuta, et alio signo maligno laethale est. Caeterum sine signo malo, transgrediens vigesimum diem, sanguinis aut puris fluxum è naribus, aut abscessus ad internas partes significat: fluxiones quidem junioribus triginta quinque annis, senioribus vero abscessus. Si vero circa frontem ac tempora fuerit dolor ille pertinax, fluxiones. = 161 = Quibus capitis sunt dolores, et sonitus aurium, citra febrem, et vertigo, et vocis tarditas, et manuum torpor, eos aut sideratos, aut comitiales, aut obliviosos fore expecta. = 162. = Qui caput dolent stupore correpti, delirantes, alvo suppressa, oculo ferociente, florulenti, hi in posteriorem partem convelluntur. = Libr. prim. praediction. II. = Vomitus in capitis doloribus ae-

ruginosi cum surditate et vigiliis cito insaniam affore denunciant. = De judicationib. 52. = Quibuscumque sanis derepente dolores oboriuntur in capitibus, et statim voce privantur, ac stertunt, hi in septem diebus pereunt. = Coac. praenot. 1. = Qui ex rigore perfrigerantur, caput ac collum dolentes, voce destituti, insuper exudantes, postquam se recollegerint, moriuntur. = Sic alia plura sunt quae a practicis referuntur, ut paleas de parietibus detrahere, floccos carpere de vestibus, festucas legere, venari muscas, et alia quae notissima sunt.

§. 1567. Varia sectione cadaverum in capite, aliisque partibus reperiuntur, ut cranii ossium caries; tophi; exostoses; tumores; erosio galeae aponeuroticae; vitia pericranii; concretio morbosa durae matris cum pia matre; turgor sinuum; vermes, calculi inter cerebri membranas; humorum effusiones inter piam matrem et cerebrum; substantia cerebri inflammata, suppurata, exulcerata, duritie et sphacelo corrupta; in hac calculi, steatomata, tuberculi, tumo-

res cystici; vitia plexuum choroideorum, glandulae pinealis, pituitaria; hydatides, insecta, eorumque larvae; turgor vasorum; collectio morbosa seri vel sanguinis in cerebri ventriculis; carotides osseae; aneurysmata; venarum varices; vitia cordis, hepatis, lienis, ventriculi, intestinorum, renum.

§. 1568. Pro sanguineo capitis dolore mittendus est sanguis vel è brachio, vel a pede, prout est aetas, corporis habitus, sexus, virium status; admovendae sunt hirudines vel retro aures, vel temporibus, naribus, vasis haemorrhoidalibus; sic cucurbitulae aut siccae, aut scarificantes dorso, scapulis, collo, occipiti. Si hujusmodi sanguinis missiones nullum afferant levamen, secetur vena frontalis, vel jugularis, vel temporalis arteria. Alvus promovenda identidem est; et omittenda non sunt balnea pedum; et horum plantis sinapismi. Si vero capitis dolor serosus sit, sanguinis missio solum expedit, cum aliqua adsit vasorum sanguineorum plenitudo; sed cucurbitulae vel hirudines tutiores sunt. Apta sunt cathartica, praesertim hydragoga, ut

sal anglicum, jalapium, scammonium. Praeterea resolventia, et diuretica, ut terra foliata tartari, scilla, hujus tinctura, vinum ex genistae cineribus medicatum, etc. Si vero persistat morbus, adhibeantur sudorifera, ut decoctiones radicum salsaeparillae, bardanae, chinae; lignorum guajaci, juniperi, visci quercini, sassafras. Tandem locum habent revellentia, ut vesicantia, setacea, fonticuli, frictiones; et ubi magna relicta fuerit debilitas, peruvianus cortex, et chalybs. Si capitis dolor a pituitosis humoribus nasci videatur, advertenda sunt quae lib. de affectionib. II. docet Hippocrates = Si in caput dolores inciderint, hujus caput calefacere conducit: ita ut multa calida lavemus, et sternutatione facta, pituitam ac mucos subducamus. Et si quidem ex his a dolore liberetur, sufficiunt haec. Si vero non liberetur, purgandum est caput a pituita. Victus autem sit sorbitio, et potus aqua. = Sed ubi caput tam scatet pituita, vesicantia brachiis applicita, magnum auxilium ferunt. Si capitis dolor sit periodicus, praemissa,

si expediat, venae sectione, et aliqua levi purgatione, remedium est cortex peruvianus. Interdum vero est pertinacissimus, et non submittitur nisi detractione sanguinis ex arteria temporali. Saepe hujusmodi dolor nervosus omnino est, et tum adhiberi potest opium, laudanum liquidum Sydenh., liquor anodynus miner. Hoff., aether vitrioli, tinctura castorei; sed si sanguis sit concitatus, praeferenda est aqua lauri cerasi. Utiles etiam sunt frictiones ad frontem, et ad tempora ex tinctura opii, aut aethere sulphurico; lavatio ex aqua et aceto; attrahatur naribus liquor anodynus; fiant balnea tepida pedum. Si capitis dolor proficiscatur a mutata natura humorum, generatim lac, serum depuratum lactis, succi et decoctiones herbarum refrigerantium juvant: si ab insectis, quae in cavitatibus nasalibus, vel in auribus nidulantur; aut a vermibus sinuum frontalium, errhinis, vel suffimentis ex concrematis tabaci foliis et pulvere camphorae; vel fumo cinnabaris, aut antimonii crudi extinguantur. Etiam cavitates narium illiniuntur as-

sa foetida vitello ovi subacta, et hiante ore excipitur fumus rerum amararum et aromaticarum. Si externae violentiae dolorem capitis attulerunt, videndum, quae ipsae fuerint. Si recentes, et in hominibus plethoricis, praeter chirurgica auxilia, inter quae interdum est terebratio, prompte sanguis mittendus est. Tandem si capitis dolor symptomaticus sit, examinandum qui sit primarius morbus. Si febris inflammatoria, conferunt venae sectiones, et antiphlogistica methodus : si vermes, aciditates, et aliae stomachi, et intestinorum impuritates, eccoprotica, anthelminthica, absorbentia : si debilitas, praesertim ventriculi, roborantia, ut calybeata; aquae acidulae martiales; aquae niveae; aliqua potio coffeae : si lues venerea, antivenerea, maxime mercurius exterius et interius adhibitus, et ad mulcendum dolorem opium; sed quia constringere solet alvum, huic adjungitur extractum colocynthidis, scilicet componitur pilula ex grano opii, et quatuor granis extracti aquosi colocyntidis, quae datur vespere : si scrophulae, praeter remedia quae

in hunc morbum solent adhiberi, et quae alvum, et urinarum secretionem concitant, non parum adjuvant fonticuli brachiis, setacea nuchae, pediluvia, semicupia: si podagra, pediluvia cum sinapi, et quae eam in propriam sedem compellunt: si rheumatismus, facta sanguinis missione vel generali vel locali, levia diaphoretica, vesicantia, sinapismi; sed si nihil sublevat, fiant balnea tepida, et fonticulus, aut setaceum ad nucham inuratur: si affectio hysterica, vel hypochondriaca, antispasmodica, sedantia, clysteres, balnea tepida.

§. 1569. Quicunque sit capitis dolor, diligenter fugiantur caussae, et ubi est tenax, facienda sunt itinera; victus sit levis, abstinentia a vino. Hoc ita vetat Hippocr. de affection. II. = Vinum autem non exhibeatur, donec dolor sedetur. Quum enim calidum existens caput, vinum attraxerit, dolor fortior evadit. = Ob eandem rationem dolorem capitis saepe exasperat opium, quod dari non debet, nisi cum dolor est omnino nerveus, et abducta phlogistica diathesis. Laborantibus autem dolore capitis

admodum juvat facilem alvum reddere. Tandem si omnibus adhibitis diligentiis, et auxiliis, expugnari non possit morbus, et eo magis dolor intensus fiat et assiduus, quae interdum juverint, periclitabimur, ut arteriotomiam, et ulcera quae fiunt candenti ferro. Sic Hippocrates ad scarificationes et ustiones in variis capitis partibus recurrebat.

SPECIES SECUNDA

Otalgia

§. 1570. Otalgia est dolor plerumque immanis aurium. Hic primarius est, cum quaedam caussae aut periostium internae auris, aut membranam tympani, aut illam fenestrarum, aut vasa et nervos provocant; symptomaticus, si ab alio morbo excitatur; secundarius, qui ab aliqua metastasi nascitur; traumaticus ab ictu, lapsu, vulneribus. Cum urgeat hujusmodi dolor alia subeunt foenomena, ut anxietas, vigilia, de-

lirium, tremores, convulsiones: interdum haec graviora fiunt, et accedit syncope, et extrema frigent. Subinde augetur vehementia doloris, qui fit pulsatilis, et omnia inflammationem indicant, ut febris, calor, rubor qui ad externas partes et usque ad genas extenditur; murmur in auribus, seu bombus. Cum otalgia oritur ab alio morbo, non deficiunt hujus signa, ut si ab affectione catarrhali, praeter evidentes caussas hujusce affectionis, molestat tussis, coryza, aliquis tumor, dolor musculi salpingo-staphylini, et hinc tubae Eustachianae, intolerantia sonorum, paracusis: si a venerea lue, plurima hujusce luis affligunt symptomata, et noctu exasperatur dolor, et aliqua formatur exostosis.

§. 1571. Caussa proxima otalgiae est irritatio, aut distensio partium internarum auris, quae ob multiplicia nervorum fila aliis omnibus partibus, excepta retina, sensibiliores sunt. Disponunt ad otalgiam temperamentum sanguineum, nimis sensile; aetas juvenilis; habitatio locorum humidorum et frigidorum; frequens in affectiones

catarrhales lapsus. Excitantes vero caussae sunt plethora, defectus alicujus exinanitionis sanguineae; vasorum, et nervorum spasmus; ossiculorum luxatio; vermes, et insecta; corpora peregrina in aures immissa; externae violentiae.

§. 1572. Otalgia interdum non est gravis morbus, et ejus cursus brevis est; interdum atrox, periculosus, lethalis. Etenim aliquando quiescit dolor, nec gravia promovet accidentia; aliquando dolor est saevissimus, et excitatur inflammatio, quae aut resolvitur aut suppuratione, aut nonnunquam morte terminatur. Saepe resolvitur aut naturae, aut artis auxilio. Per largum enim sanguinis fluxum spontaneum vel ex naribus, vel ex haemorrhoidibus, vel ex vasis uteri, extinguitur inflammatio: si vero intra septem dies haec resolutio non eveniat, dolor desistit et febris, ac suppuratio perficitur. Saepe post suppurationem remanet fluxus ex auribus materiei purulentae; formantur et dilatantur ulcera, et imminutio, vel abolitio auditus sequitur. Subinde vero tanta est inflammationis rapi-

ditas et symptomatum violentia, ut properet mors. Si otalgia est symptoma alterius morbi, a natura hujus educitur prognosis. Si ex. gr. veniat ab alicujus dentis carie, sola hujus evulsione sanatur: si a venerea lue, periculosa est, maxime si interius sint ulcera, aut aliqua exostosis.

§. 1573. Si otalgia sit levis, a miti vasorum et nervorum spasmo orta, sufficiunt anodyna, et antispasmodica, ut mitescat dolor, sicut oleum amygdalarum dulcium cum aliquot guttis liquoris anodyni mineralis Hoffm., quod instilletur in aures. Sed si vehementior et ad inflammationem tendit, instituantur sanguinis missiones; dentur diluentes potiones nitrosae; injiciantur clysteres emollientes; applicentur cataplasmata etiam emollientia; indatur in aures oleum amygdalarum dulcium; tandem aliqua levis purgatio. Semper vero caussa respicienda est. Itaque si haec fuerit corpus extraneum in aurem illapsum, hoc praecipue extrahendum: si in meatu auditorio vermes, et insectorum larvae, educantur, et enecentur. Insectorum larvae non raro

illic conduntur. Refert Sauvages interdum plurimas oblongas et albidas fuisse eductas, quae in vase vitreo servatae carnarias muscas dederunt. Tum igitur immittatur in aures oleum juniperi; fiant suffitus ex gummi ammoniaco; tabaci fumus retineatur in ore, ut in tubam Eustachianam penetret. Si nascitur otalgia ab affectione catarrhali, convenit sanguinis missio, et applicatio hirudinum circa aures; potiones diaphoreticae; calidus aër, qui perspirationem adjuvet; fomenta tepida; tandem brachiis apponenda sunt vesicantia: si a lue venerea, adhibeantur antivenerea, maxime mercurius, ejusque praeparata; et narcoticis immanes placentur dolores: si ab aliqua metastasi, prompte ad suam sedem morbosae materiae alliciantur.

SPECIES TERTIA

Odontalgia

§. 1574. Odontalgia est dolor dentium, saepe lancinans et rodens. Ut plurimum est cariei dentium symptoma, aut affectionis catarrhalis, rheumaticae, podagricae, scorbuticae, rachiticae, scrophulosae, etc. Sed interdum excitatur a caussis, quae provocant dentium nervos, ideoque primarius morbus est. Odontalgia a veteribus haemodia, αἱμωδία, nuncupata, ab esu acerborum fructuum, vel a sonis stridulis producitur. Ab hisce caussis oritur stupor dentium et dolor, qui masticationem impedit. Haec odontalgia primaria est, ut primariam arbitror, quae a dentitione producitur. Non solum enim suscitatur dolor a tumidis gingivis, quae impediunt dentium exitum, sed etiam a nervorum vasorumque irritatione. Si revera incidantur gingivae, interdum nec exeunt dentes, nec absistit dolor. Plerumque gingivarum dolor pruriginosus est, ut demon-

strant pueri ipsi, qui eas fricant aut manu, aut corporibus, quae manu tenent. Sub hac odontalgia suscitantur febris, vigilia, inquietudo, vomitus, diarrhoea, convulsiones. Odontalgia vero symptomatica non infrequens est, ut illa a carie dentium humida, quae aut rodit radicem, et partes interiores dentium; aut collum, et partes exteriores, unde haec caries non solum in humidam, et siccam, sed etiam in internam et externam dividitur. Non raro odontalgia est symptoma catarrhalis affectionis, nec hujus desunt caussae, nec symptomata; nam ut plurimum producitur a cohibita insensibili perspiratione, et incipit frigore, sternutamentis, et tussi; deinde gingivae et genae tumefiunt, et dolor dentium, et maxillarum ejusdem lateris excruciat. Rheumatica, et podagrica odontalgia tum expergiscitur, cum ad dentium sedem rheumaticus, aut podagricus transilit humor. Non rara etiam est odontalgia scorbutica, cum inter alia scorbuti symptomata, gingivae fiunt atro-rubrae, molles, fungosae, ex quibus facile excedit sanguis, dentes ni-

grescunt, vacillant, labuntur, aut carie labefiunt. Mulieres tempore gestationis saepe laborant dentium dolore, quamvis eorum non adsit caries. Hic dolor est acerbus, pulsatilis, intolerabilis, unde non raro febris, et convulsiones oriuntur. Sunt mulieres, quae hunc dolorem in quavis gestatione patiuntur.

§. 1575. Odontalgiae caussa proxima est irritatio nervi internum dentium periostium reptantis, aut laesio externi periostii. Proclives ad odontalgiam sunt rachitici, homines nimis sensibiles, qui colunt loca humida et frigida, et affectionibus catarrhalibus frequenter obnoxii. Hanc vero excitant major humorum affluxus ad dentium sedem; humores pravae indolis; nervorum consensus; potiones, alimenta, quae nimis calida et nimis frigida vicissim sumuntur; vicissitudines aëris, et temperiei, quae insensibilem perspirationem perturbant.

§. 1576. Haemodia est affectio nullius momenti, quae etiam sponte diffugit. Odontalgia dentitionis modo feliciter, modo fato clauditur. Illa a dentium carie, horum avul-

sione vanescit; sed interdum inflammantur gingivae, mox suppuratio, et interdum alveolorum caries succedit. Odontalgia catarrhalis recta curatione solvitur; sed rheumatica, et podagrica, nisi humores ad proprias sedes redeant, dum vivitur, plus minusve divexat. Illa gravidarum saepe periculosa est, quia accenditur febris; et foetus in utero commovetur. Ita aliae odontalgiae symptomaticae sunt graves vel leves juxta morborum naturam, qui eas incitarunt.

§. 1577. Si odontalgia haemodia sponte non cessat, ingressus aëris in os impediatur; applicentur calida lintea; folia herbarum leviter acidarum dentibus terantur, ut portulacae, aut acetosae. Acidum enim debilius acrius enervat, sicut animadvertit Sauvages. Si autem odontalgia proveniat a dentitione, non aliud fieri potest, nisi effecta compescere. Si a carie, praeter notissima auxilia, ut sunt lamellae plumbeae in cavum cariei immissae; combustio nervi, ut praepediatur cariei progressus, quae fit filiformi candenti ferro; applicatio opii,

laudani liquidi Sydenh., rerumque spirituosarum et aromaticarum; cariosi dentis avulsio. Si vero odontalgia sit catarrhalis, oportet sanguinem mittere; praeterea lac et decoctio malvae servetur in ore ; adhibeantur, levia diaphoretica, et sialagoga. Si sit gastrica, sufficiunt emetica, aut purgantia. Si contingat in gravidis, saepe juvat sanguinis missio, et aliquod remedium ex opio; sed si persistat dolor, dens extrahatur. Si sit scorbutica, conferunt antiscorbutica ; sed ubi extat caries, et exulceratio, os est abluendum decoctione salviae, cochleariae cum spiritu cochleariae ipsius, aut cum tinctura laccae Boerhaav., aut tinctura laccae aluminosae Mynsicht; aut illiniantur labia et ulcera gingivarum melle rosaceo cum aliquot guttis spiritus salis marini; et folia cochleariae, acetosae, nasturtii aquatici mandantur. Hoc modo quoad aliarum curationem odontalgiarum symptomaticarum agendum est.

Trismus

§. 1578. Trismus, τρισμὸς, est spasmodica constrictio, praecipue maxillae inferioris. Est primarius, symptomaticus, secundarius, traumaticus. Saepe pertinet ad primum trismus dolorificus; et trismus nascentium : saepe ad secundum trismus cynicus, etiam spasmus cynicus vocatus; trismus cynogelos, spasmus caninus; trismus sardonicus, aut sardiasis, aut risus sardonicus: ad tertium qui a metastasi, vel retrocessione materiei morbosae gignitur, ut evenit in acutis morbis: ad quartum qui ab externis laesionibus, ut vulneribus, puncturis nervorum, et causticorum actione producitur.

§. 1579. Trismus dolorificus, qui etiam dicitur neuralgia facialis a νεῦρον nervus, et ἄλγος dolor, aut prosopalgia a πρόσωπον facies, et ἄλγος dolor, est immitis cruciatus qui in aliquo ramo quinti, aut septimi paris nervorum cerebralium se-

det, cum maxima os aperiendi difficultate. Hujusmodi morbi accessus aut periodici, aut irregulares sunt; frequentes, aut rari; breves, aut longi. Utplurimum non aggrediuntur noctu, nec praenuntiantur prodromis. Interdum tamen ante accessum suscitatur sensus formicationis, tensionis in palato, pruritus in facie; alicujus imaginarii doloris perceptio. Deinde adoritur acutus dolor, lacerans, lancinans, gravissimus; plerumque fixus in uno faciei latere, raro in utroque. Impossibile est loqui, mandere, deglutire; facies rubet, turget; vasa temporum tument, et nimis pulsant; sed interdum facies pallet; pulsus est naturalis, vel lentior, respiratio rara, et interrupta spasmis; urina pallida, aquea; sed in remissione turbida. Si morbus augetur, dolor fit asperrimus; infirmantur facultates intellectuales, et corporis vires; constringitur alvus; musculi faciei convelluntur, aut rigent; tumescit abdomen; pedes et manus frigefiunt; torquent convulsiones; et interdum sequitur mors. Aliquando paroxysmus est vehementior, sed brevior, aliquod

temporis momentum non superans ; raro ad dimidiam, rarissime ad horam extenditur. Hic aut ut corripit, illico absistit; aut paullatim decrescit ; aut salivae , lacrymarum, mucci nasalis cursu resolvitur. Haec sunt generalia morbi signa , sed recentiores pathologi trismum dividunt secundum quam occupat sedem, scilicet in frontalem , infraorbitalem , et specialia tradunt symptomata.

§. 1580. Nervi trifaciales in tres dividuntur partes quarum prima est nervus ophthalmicus, qui per glandulam lacrymalem, palpebram superiorem , frontem , foveas nasales, et nasum spargitur. Altera est nervus maxillaris superior, qui dat ramum orbitae , unde ab una parte procedunt fila, quae ad musculum orbicularem palpebrarum feruntur, et ad cutem; ab alia parte in foveam temporalem expanditur , et in temporum, et capitis cutem : inferius autem impertit nervos palpebrae inferiori, sacco et carunculae lacymali, et etiam fila naso, tegumentis genarum, pluribusque faciei musculis , tribuitque nervos dentibus

maxillae superioris. Tertia pars, major aliis, est nervus maxillaris inferior, qui mittit nervos ad aurem, plures faciei musculos, amygdalas, musculos pharyngis, glandulas submaxillares, et parotides, et nonnulla fila, quae subeunt linguam, et nervos dentium maxillae inferioris. Septimum autem par internae auri, ejusque tentorio, tempori, fronti, et omnibus fere faciei partibus nervos praebet.

§. 1581. In trismo dolorifico frontali, seu neuralgia frontali, afficitur prima pars nervi trifacialis, et praecipue frontales ramusculos, unde dolor ad frontem, palpebram superiorem, et supercilium producitur. In trismo dolorifico infraorbitali, sive neuralgia infraorbitali, alia pars corripitur ejusdem nervi, maxime surculos infraorbitales, et hinc dolor in aliqua faciei parte, et interdum in toto ipsius latere sedet. In trismo dolorifico maxillari, tertia prehenditur nervi trifacialis pars ideoque dolor est circa mentum, labia, maxillarem ductum, dentes, tempora, linguae latera. Haec neuralgia est aliis rarior, et magis abnormis.

A diversis ramis nervi trifacialis dolore affectis varia trismi dolorifici exponuntur foenomena. Si primus ramus hujusce nervi affligatur, contremiscit musculus palpebrarum orbicularis: si secundus ramus, provocatur excretio salivae, mucci nasalis, otalgia, loquendi difficultas: si tertius ramus, ad mentum, et ad labia spasmus.

§. 1582. Probabiliter trismi dolorifici caussa proxima est aliqua substantiae nerveae mutatio, aut fluidi imponderabilis, quod nervos percurrit, aut vitiosa partium constructio, ut angustia canalium osseorum, per quos nervi transiliunt. Haec confirmat cadaverum inspectio. Etenim invenitur nervorum facici tunica sero distenta; aut prava ossium compositio; aut aliquis scirrhosus tumor ad dextrum latus protuberantiae anularis. Praedisponentes caussae sunt nimia debilitas, et sensibilitas nervorum: sed interdum etiam nimius vigor, quia aliquando in hominibus robustis hic morbus contingit. Propter majorem sensibilitatem plus foeminae, quam homines hoc trismo laborant. Etiam vita sedentaria

ad hunc disponit, unde in feriatis hominibus, et qui post mediam aetatem ab exercitationibus se subducunt, non raro observatur. In mulieribus vero ante hoc vitae tempus obvenit. Clima etiam non parum contribuit; nam in regionibus septemtrionalibus hic trismus frequentior est. Caussae excitantes sunt perspiratio cohibita; pigmentum; animi pathemata, praesertim moeror, terror, ira coercita, ultio non expleta; refraenati sanguinis cursus assueti; errores in diaetetico regimine. Cum trismus dolorificus est symptomaticus, ortum habet a scirrho; carcinomate; arthritide; lue venerea; scorbuto; affectionibus catarrhalibus, abdominalibus, verminosis, etc. Species Sauvagesii sunt plerumque symptomaticae, ut trismus inflammatorius, scorbuticus, verminosus, arthriticus, febrilis, catarrhalis etc. Aliquando secundarius nascitur a repercusso herpete, vel scabie, vel alia impetigine. Traumaticus a vulneribus, puncturis, causticis, oestri larvis.

§. 1583. Trismus dolorificus curatu difficilis est, et adeo rebellis, ut usque ad

mortem maneat, quin vitae cursum abrumpat. Cum est acerbissimus, saevas excitat convulsiones, et etiam interimit. Interdum lente prius extenuat vires, absumit corpus, et tandem enecat. Asperior vere generatim est et autumno; deinde mitescit. Aliquando salivarum, lacrymarum, mucci nasalis, ventris fluxu, aut doloribus articularibus, regularibusque dissolvitur. Gravitas autem et periculum trismi dolorifici symptomatici, secundarii, et traumatici a cognitione caussarum educitur.

§. 1584. Propter caussarum varietatem multiplex est curatio. Si enim hic trismus corripiat eos, quibus sanguis est integer, et solidae suo robure stant vires; aut quibus aliqua deficiat solita sanguinis exoneratio, mittatur sanguis, applicentur hirudines vasis haemorrhoidalibus, aut temporibus; dentur diluentia, et serum lactis; fiant pediluvia, et balnea tepida; et ut mitigentur spasmi, aqua lauro cerasi, extractum cicutae, hyoscyami; regimen omnino antiphlogisticum. E contrario si caussa sit debilitas, et major aequo sensibilitas,

usurpentur stimulantia et antispasmodica tam interius quam exterius, ut liquor anodynus mineralis Hoffm., aether, castoreum, assa foetida, opium, tinctura ex opio. Si autem haec non prosunt, vesicantia, praesertim collo, apponantur, quae nonnulli super partem affectam suadent. Alii autem, dum reliqua non bene succedunt, loco doloris cauterium sive potentiale sive actuale adjiciunt. Laudantur etiam fonticuli, setacea, aliaque topica auxilia, ut aqua frigida, glacies, stillicidia. Utilis esse potest electricitas, galvanismus, magnetismus. Tandem ad eripiendam inter cerebrum et afflictum nervum communicationem facienda est nervorum resectio, quamvis non semper prospere eveniret.

§. 1585. Trismus nascentium primis post partum diebus invadit puerulos, aut primis duabus hebdomadis, unde lactatio impossibilis. Pueri lugent, languent, bilem viridem evomunt; musculi maxillae inferioris capiuntur spasmo, unde os semiclausum, et maxillarum motus difficilis, et ille labiorum fere nullus; durescit musculus

quadratus labii inferioris; urina limpida, aut intercepta; alvus adstricta, et distenta flatibus, unde dolores excruciant; interdum collum, cutis, artus spasmodica rigiditate afficiuntur; cutis etiam livet; pulsus per plures dies ferme manet naturalis; nonnunquam haec symptomata mansuescunt, mox recrudescunt, et graviora fiunt; denique assultant convulsiones, et consequitur mors.

§. 1586. Hinc trismus frequentius exercet pueros debiles, et nimis sensibiles, pravaque corporis constitutione praeditos; magis vero hyeme quam aestate, magis sub aëre humido, quam sicco. Frequentius etiam hunc morbum commovent aër corruptus locorum, ubi multae colliguntur puerperae; vicissitudines aëris; primarum viarum impuritates, praesertim aciditates, corruptum lac, meconium; vitia hepatis, et bilis, rudis incisio funiculi umbelicalis, nec inde recta curatio.

§. 1587. Trismus primorum dierum alea plenus est. Sperandum tamen, si non cito interfecerit, et imminuantur symptoma-

ta. Haec vel prospera, vel laeva sunt. Ad illa spectant facilis deglutitio, spasmi non vehementes musculorum oris, et colli; eruptiones cutaneae cum levamine; laetitia puerorum: ad haec vero impossibilitas deglutiendi; convulsiones; tetanus; manuum et pedum frigus; cutis livor.

§. 1588. Si morbus oriatur a gastricis quisquiliis, exposcit parvum ipecacuanhae dosim, aut levem purgationem; et ubi pueri deglutire non possunt, clysteres: si a vitiis hepatis, et bilis, resolventia, ut sapo venetus, rhabarbarum, mel, syrupus de cichorio cum rhabarbaro: si ab aliqua affectione convulsiva, antispasmodica, balnea frigida, clysteres, qui ex assa foetida parantur. Qui non possunt lac sugere, sumant aliquod lactis cochlear, bis in die fluida pulmenta, et ex lacte vaccino clysteres. Exterius partes convulsione affectae oleo illiniantur, et linteo calido tegantur. Universim corpuscula leni calore foveantur.

§. 1589. Dicitur trismus cynicus, si labia aut versus aurem, aut utrasque aures trahantur. Utplurimum est aliorum mor-

borum symptoma, aut prodromum signum, aut consecutio, ut apoplexiae, et paralysis. In hoc morbo strident dentes, strepit murmur, deficit deglutitio, oculi rubent et facies, quae interdum livore inficitur. Curatur secundum ejus originem, sed generatim emissione sanguinis; cucurbitulis, praesertim collo applicitis; levibus purgantibus; clysteribus; vesicantibus. Trismo cynico accedit oris distorsio versus latus, quae contingit ob hemiplegiam lateris oppositi; nam musculus zygomaticus et buccinator sani lateris os ad se trahunt. Haec distortio, quae dicitur a Sauvages trismus diastrophe, est signum prodromum, aut consecutio apoplexiae, et paralysis. Parum etiam a trismo cynico distat trismus caninus, qui a Sauvages cynogelos vocatur. Hic est naturae nisus ad deprimendum diaphragma, et cohibendum anhelitum, ut in expellendis faecibus. Sub hoc morboso conamine faciei musculi contrahuntur, et chordae vocales glottidis rimam claudunt ob contractos musculos laryngis, unde inspirati aëris impediunt exitum. Utplurimum

horum musculorum convulsio est symptomatica a molestiis viscerum abdominalium, et diaphragmatis laesione illata. Trismus quoque sardonicus, aut sardiasis, quia creditur ab herba sardonica produci, est musculorum faciei, et oris spasmus, ex quo labia in obliquum torquentur, effingiturque risus, qui vulgo dicitur sardonicus. Si primarius, et ab incognita caussa natus, manet saepe tres aut quatuor dies, quin immunes sint noctes, hinc somnus fugit, debilitantur vires, et pulsus frequens fit. Interdum est vehemens, et etiam occidit; interdum mitior; et sua sponte evanescit. Auxilia, sunt antispasmodica, ut liquor anodynus mineralis Hoffm., aether, moschus, castoreum, ejusque tinctura, assa foetida, etc., quae crebro non proficiunt, utpote caussa latens. Quapropter non raro magis spontaneae paroxysmi cessationi, quam medicamentis fidendum est, sicut animadvertit Thomas. Si vero non ignoretur caussa, melius aptantur remedia. Si ex. gr. sit caussa venenosa assumpta planta, ut ranuculus sceleratus, aconitus, datura, ci-

to porrigantur emetica, deinde balnea tepida, et unctiones oleosae fiant. Quicunque autem sit trismus vel symptomaticus, vel secundarius, prae oculis habeantur primarii morbi, ut recta ordinetur curatio. Si tandem sit traumaticus; pro diversis laesionibus variat curatio, nempe musculorum vulneribus, nervorum puncturis, causticorum offensionibus. Etenim si caustica affligant nervos, haec continuo amovenda: si vulnera, in primis irritatio sedanda, quod fit decoctionibus, et cataplasmatibus emollientibus: si nervi alicujus punctura, cum gravia surgant symptomata, et instet mortis discrimen, ipse lacessitus nervus rescindendus est.

§. 1590. Priusquam ad aliud genus transeamus, mihi animadvertere liceat, a neuralgia faciali reliquas neuralgias, et ab his rachialgiam nervosam parum differre. Etenim in neuralgiis, praeter diversitatem partium, omnia fere similia sunt. Hae habent sedem in quibusdam corporis partibus, sed non in omnibus, ut experientia edocemur, licet omnes nervi instruan-

tur. Frequentiores sunt neuralgia digito-cubitalis, et ischiàs nervosa; rariores ilio-scrotalis, et plantaris. Omnium symptomata sunt dolores lancinantes sine rubore tensione, et tumore partium, qui ad alios nerveos ramos extenduntur, unde saepe excitantur spasmi, convulsiones, involuntarii motus, et interdum arteriae vehementius micant, venaeque turgent. Si igitur neuralgia sedeat in nervo cubitali, dolor utplurimum incipit a cubitu, et inde nervi directionem sequitur, et aliquando per totum brachium diffunditur. Ischias nervosa, quam Cotunnius in posticam, et anticam, et alii in veram, et spuriam distinxerunt, aut nervum ischiadicum, aut cruralem occupat. In postica dolor haeret post majorem femoris trochanterem, qui sursum ad os sacrum, deorsum per externum femoris latus ad poplitem, ubi raro consistit, et per externum cruris latus ante malleolum exteriorem ad dorsum pedis porrigitur. In antica dolor ab inguine ad anticam femoris regionem, internum cruris latus, et partem dorsi pedis internam profertur. Omnium

neuralgiarum caussa obscura est; sed probabilis nervorum alteratio, quae decerni non potest. Credidit Cotunnius, caussam esse externarum nervi vaginarum hydropem; sed quis asseveret, hunc esse potius caussam, quam effectum? Communiores caussae remotae sunt actio immodici frigoris; humorum vitia, morborum cutaneorum retropulsiones; inveteratorum ulcerum exiccationes; aliqua deficiens consueta exinanitio; compressiones in nervos; externae laesiones. Neuralgiae autem sunt plus, vel minus graves secundum variam earum sedem, caussas, et symptomata. Ischias nervosa postica est antica frequentior, et curatu difficilior. Etiam remedia varia sunt, et pro re nata eligenda, ut sanguinis missiones generales, et locales; purgantia; emetica; diaphoretica; antimonialia; amara; tonica; nervina; stomachica; scilicet cortex peruvianus, flores arnicae montanae, radix inulae helenii; centaurea benedicta L., chaenopodium ambrosioides, etc; sedantia, narcotica, ut opium, composita ex opio, extractum hyoscyami nigri, etc; frictiones ex laudano liqui-

do Sydenh., oleo hyoscyami nigri, aethere, spiritu salis ammoniaci cum oleo amygdalarum dulcium; balnea utplurimum tepida; vesicantia; fonticuli; setacea; cauteria; sectio fili nervei; electricitas. Alimenta sint levia, et quae expedite digerantur; et ubi aegrotantium, et morbi conditiones sinant, aliqua corporis exercitatio, ut ambulatio, et gestatio, quae longis morbis aptissima est.

§. 1591. Rachialgia est dolor vertebralis columnae sine febre. Est saepe symptomatica, ut gastrica, scorbutica venerea, rachitica scrophulosa; sed interdum primaria, ut illa quae dicitur nervosa. Haec distinguitur dolore sine febre, qui a columna vertebrali emanat, aut in collo, aut in dorso, aut in lumbis, aut in osse sacro sedens; plus vel minus atrox; modo brevis, modo per intervalla remeans, modo perstans: inde saepe excitantur convellentes motus; defectus quietis; respiratio anhela; constrictio musculorum abdominalium; alvus aut compressa, aut soluta; urinae difficultas; debilitas, consumptio, paraly-

sis extremitatum inferiorum. Rachialgia nervosa non raro contingit debilibus, sensibilibus, et morbis nervosis obnoxiis. Caussae quae hanc frequentius commovent, sunt abusus veneris, et onania; quarundam artium exercitatio, quae curvandi dorsum, eoque subeundi nisus necessitatem imponunt; externae injuriae. Interdum rachialgia brevis est, ut in hominibus hypochondriacis, et foeminis hystericis; interdum diuturna, et gravis, ut in illis qui venere abutuntur. Generatim remedia interna sunt amara, roborantia, narcotica, anodyna: externa sunt frictiones supra spinam ex laudano liquido Sydenh., oleo hyoscyami nigri, liquore anodyno minerali Hoffm; balnea utplurimum tepida. Necesse vero est, ut respiciatur caussa. Etenim si a nimia debilitate, et sensibilitate nascatur, conveniunt tonica, martialia, ut cortex peruvianus, flores salis ammoniaci martiales, balnea tepida: si ab abusu veneris, cortex peruvianus, martialia, lac asininum, balnea maris subfrigida: si ab externis laesionibus, curatio ad chirurgiam

pertinet; sed si recens, juvat sanguinis detractio, et hirudines circa dolentem partem; applicatio frigidae simplicis, vel cum acetate plumbi, ob virtutem qua sedandi gaudet: si vero senescens, cortex peruvianus, flores arnicae montanae, fonticuli ad vertebrarum affectarum latera succurrunt. Alimenta sint levia, et quae facile transeant; servetur animi quies, et commoda corporis positio.

GENUS TERTIUM

Perturbatio somni

§. 1592. Perturbatio somni aut in nimis producta contra voluntatem vigilia, aut in ipso somno pavoribus, visis, imaginationis fervore, vel aliis caussis abrupto consistit. Caussa est cerebri irritatio, quae quin laedat intellectuales functiones, aut alios nervei systematis morbos inducat, conditionem hujus visceris adimit ad captandum somnum opportunam. Dum vero

haec caussa vehementior est, aut nimis protrahitur vigilia, aut perturbantur etiam functiones itellectuales, aut alii nervorum morbi gignuntur. Quos involuntaria vigilia exercet, facile insaniunt. Pueri qui de lemuribus, et spectris noctu volitantibus loqui audiunt, prius in somno agitantur pavoribus, horribilibusque visis, mox convulsionibus, et epilepsia corripiuntur. Favet huic morbo temperamentum plethoricum, vel sensibile; aetas puerilis vel senilis; vitae regimen: ansam praebent quae cerebrum tentant, ut sollicitudines, animi affectus, acria scentiarum studia, profligati mores. Hujusmodi morbus saepe gravis est et lethalis; nam praecipuas laedit functiones, exhaurit vires, et ad extremum vitae reducit. Sed prognosis, et curatio melius a specierum consideratione elici poterit.

SPECIES PRIMA

Agrypnia

§. 1593. Vigilia involuntaria quae corporis functiones, viresque pessundat, graece vocatur ἀγρυπνία, latine pervigilium, aut vigilium morbosum, aut vigiliae immodicae. Ad conservationem salutis octo horae generatim conceduntur somno; sed multi absque salutis incommodo minus dormiunt. Qui vero non dormit quantum necessum est, facile perspicit, imminui vires, non elaborari alimentorum digestio, densari muccos in ore, foetere animam, et consequi inquietudinem, anxietatem, cephalalgiam. Ut plurimum agrypnia nascitur ab aliis morbis sive acutis, sive chronicis, ideoque diversis nominibus a Nosologis appellatur, ut agrypnia hysterica; cephalalgica; gastrica; febrilis; arthritica; etc. Si primaria est, varia pro caussis symptomata sunt. Illa quae venit a plethora, et ab ardore sanguinis, praeter temperamentum sangui-

neum, et retentionem exonerationum sanguinearum, distinguitur a calore, et pruritu cutis, vehementi arteriarum vibratione, urina flammea: alia vere nervosa frequentem mejendi necessitatem, anxietatem, timorem, caloris et frigoris vicissitudines portendit. Quoniam agrypnia aliquando aliquam praevertit crisim, maxime haemorrhagiam ex naribus, dicta fuit critica, et cum hac non desunt alia futurae criseos signa. Idcirco si agrypnia praecedat epistaxin criticam, capitis dolor, pruritus narium, colli tensio non absunt.

§. 1594. Morbosa cerebri conditio est caussa quae repellit somnum ad recuperandas vires a praegressa vigilia exhaustas necessarium. Temperamentum sanguineum, nimia nervorum sensibilitas, pueritia, senectus, tempus gestationis ad agrypniam comparat; quidquid vero cerebri fibras irritat, et agitat, eam excitat, ut plethora; retentae sanguineae exinanitiones; etiam retentum sperma; abusus liquorum spirituosorum; insolatio; animi pathemata; pertinacia studia; immodica venus, humo-

rum vitia. In pueris frequentes caussae sunt dentitio, pravum lac, aciditates ventriculi. Non est agrypnia illa vigilia fugax a levibus et accidentalibus caussis orta, ut a lassitudine, et a quibusdam insectis, scilicet cimice lectuario, pulice communi, pediculo humano, et pediculo pubis, etc.

§. 1595. Cum agrypnia nascitur a caussis levibus, ut abusu theae, et coffeae, faciliter vinci potest; contra si a maxima nervorum sensibilitate, et ab assiduis animi pathematibus. Cum hic morbus est pertinax, generat saepe exitiosos morbos, ut dyspesiam, anorexiam, consumptionem, delirium, convulsiones, quae sunt infausti ominis, ut aph. 18. Sect. VIII. sic inquit Hippocrates = A vigilia convulsio, aut delirium malum = Ab hac caussa convulsiones in pueris frequentes sunt; in senibus apoplexia. Agrypnia vero symptomatica esse potest levis vel gravis, vel rebellis, vel periculosa, et lethalis.

§. 1596. Sectione cadaverum inveniuntur ventriculi cerebri pleni liquido et aquoso humore, praesertim post toleratam po-

dagram; vasa piae matris nigro sanguine referta: meninges vestigiis inflammationis notatae, aut gangraena corruptae, aut quoad colorem mutatae; cerebrum aliquando sphacelo dirutum; aliquando etiam alia viscera temerata.

§. 1597. Quamvis quaedam generalia remedia utilia sunt, ut egelida balnea; lac, ejusque depuratum serum; emulsiones; aqua frigida; tamen si non dentur quae caussam amoliuntur, morbus non subigitur. Igitur pro agrypnia quae nascitur a plethora, expediunt sanguinis missiones generales, praesertim è saphena, et partiales, ut cucurbitulae scarificantes ad dorsum, hirudines circa caput, aut in partibus verendis, aut vasis haemorrhoidalibus; leves purgationes, et clysteres; et quidquid potest consuetos sanguinis cursus revocare. Si agrypnia vere nervosa sit, eligantur paregorica, sedantia, anodyna, ut hyoscyamus; flores nympheae, papaveris rhoedados; capita papaveris albi; aqua lactucae cum liquore anodyno minerali Hoff.; laudanum liquidum Sydenh.; opium, et hujus ex-

tractum aquosum; pilulae de cynoglossa; castoreum; ambra grysea; etc. Opium vero nunquam senibus dandum est, ut et alia narcotica; nec opium pro pueris tutum est. In senili aetate auxilia sunt stomachica et analeptica. Si nimiam foveant nervorum sensibilitatem affligentia animi pathemata, nil melius, quam amicorum societas, musica, vectio ad plures lapides, itinera, rusticatio, non omissis anodynis, aliisque convenientibus auxiliis. Dum vero caussa est debilitas ventriculi, unde non bene alimenta concoquuntur, remedia sunt amara, roborantia, stomachica. Agrypnia, quae est inflammationis symptoma curatur antiphlogisticis; affectionis gastricae, eccoproticis, et clysteribus; affectionis hystericae, aliqua sanguinis missione, si haec locum habeat, aliqua levi purgatione, lacte asinino, aquis acidulis, balneis tepidis, pediluviis, clysteribus ex infuso chamomillae cum aliquot guttis laudani liquidi Sydenh. Si vero proveniat a metastasi materiei morbosae ad caput, utilia sunt vesicantia, fonticuli, setacea, balnea ca-

lida universalia, aut pedum. Si agrypnia post capitis dolores nervosae indolis appareat, juvant exiguae doses assae foetidae, sagapenum, extractum opii aquosum, hyoscyamus etc.

§. 1598. Agrypnia frequenter remeat; ideo caussas omnes evadere necesse est; et diligenter animadvertere quae juvant, vel quae nocent. Utplurimum coffea fugat somnum; sed in quibusdam ad revocandum somnum confert: alii melius se habent, si sine coena lectum petunt, et solum aquae gelidae potum sumunt; alii si coenant: alii silentio et solitudine somnum capiunt; alii loquentium susurro, et desilientium aquarum murmure. Alimenta sint concoctu facilia, ut pulmenta ex jure pulli, aut vituli; oryza; lac; pisces; lactuca; modicum vinum, ubi possit concedi. Modica sit cubiculi, ubi moratur aeger, temperies; et non omittantur balnea sive aquae communis, sive mineralis, sive marinae. Caeterum plus quam remedia valent rusticatio, corporis exercitatio, itinera.

SPECIES SECUNDA

Somnambulismus

§. 1599. Somnambulismus est elatio imaginationis somni tempore, unde homines quin intelligant, corripiunt è stratis corpus, loquuntur, incedunt, et quae solent utplurimum peragunt. Somnambulismus ergo est status inter vigiliam et somnum. Vigilia enim est libera sensuum externorum et internorum, omniumque motuum exercitatio, quae aufertur in somno, saltem maxima parte sed in somnambulismo viget memoria, imaginatio, voluntas, at non judicium, et cerebrum in motus organa vim suam exercet. Sunt qui credunt, somnambulismum non esse morbum, et de illo loqui physiologis linquunt, ut si caussae illius non essent morbosae, et ut perturbationes in somno damnum non afferrent: alii judicant, somnambulismum esse alterius morbi symptoma, ut si non observarentur somnambulones alio morbo non

laborantes : alii somnambulismum existimant, et definiunt somnium, ut si somnium, et somnambulismus eandem haberent faciem , dum in illo imaginatio viget, et sensationes in maxima obscuritate sunt, et voluntarii motus feriantur.

§. 1600. Sauvages in duas species distribuit somnambulismum , scilicet in vulgarem , et catalepticum. Primus cum aeger sopore excitabili detinetur ; in quo duos distinxit gradus , quorum levior est cum aeger non exit è lecto , sed movetur et loquitur ; gravior , cum ille surgit è lecto , et, ut in vigilia, consueta peragit, quin hoc sentiat. Secundus paroxysmo catalepseos incipit et somnambulismo terminatur. Alii scriptores parum differunt ab hac Sauvagesii divisione. Burserius dividit hunc morbum in vulgarem et furentem , sive complicatum. Vulgaris duos gradus admittit , ut ille Sauvagesii ; furens dum post brevem somni aut soporis apparentiam, homo insolita peragit , instar furentis. Hunc praeterea appellat complicatum , si alio morbo conjungitur , ut catalepticus Sauvagesii, qui

in initio incipit catalepsi, et somnambulismo modo descripto terminatur. Joseph Franck eundem morbum partitur in somnambulismum et somniationem, quae somnambulismo cataleptico Sauvagesii respondet, et saepe periodica est, et aeger perficit insueta sine eorum memoria. Mihi vero videtur unus esse somnambulismus, solum ob diversitatem et efficaciam caussarum dispar. Varietas enim morbi pendet a majore vel minore phantasiae vi, et communis sensorii nervorumque sensibilitate. Somnambulismus autem est primarius, symptomaticus, secundarius, qui producitur, aut succedit catalepsi, hysterismo, convulsionibus. Praeterea vel est simplex; vel complicatus, ut cum ecstasi, epilepsia, delirio; vel accidentalis, ab aliqua fortuita caussa productus; habitualis; periodicus; haereditarius; congenitus; verus; simulatus.

§. 1601. Ante somnambulismi aggressionem saepe quaedam conspiciuntur prodroma signa, ut taciturnitas, tristitia, aliquid in vultu insueti, aliquis motus convulsivus, lipothymia, capitis dolor, non

est mens tam alacris ut in illusionibus paroxysmi; nam somnambulo propter imaginationis vim res ingeniosius , quam in vigilia perficit. Qui somnambulismo laborat, se dat somno , sed post aliquam horam è stratis surgit utplurimum clausis oculis, interdum reclusis et immobili pupula , non secus ac vigilaret , admirabilia peragit ; in plura occurrit pericula , quin id intelligat; rursus deinde lectum petit , et obdormiscit ; pulsus saepe naturalis est, aut lentior , raro durus ; etiam naturalis corporis calor. Cum agit somnambulo , ejus vultus coloratur ; intuitus vivax ; vox firma ; ingens membrorum dexteritas ; prompte responsa reddita. Si expergefiat , in praecipiti est , et saepe furoribus agitatur. Patet igitur , externos sensus , excepto tactu, feriari ; et voluntatem , quia imaginatio millia fingit phantasmata , ad aliquam absolvendam actionem cogi , quin externi sensus excitentur. Attamen quoad sensuum functiones , multae deprehenduntur varietates. Interdum enim somnambulones non vident , sed audiunt ; et ideo petitionibus re-

sponsa reddunt; interdum vident, et ideo legunt, et scribunt; interdum reseratos habent oculos, et immotos, sed impressiones non sentiunt, quae super visionis organa fiunt. Persaepe habituales actiones repetunt; loquuntur, et, ut somniando evenit, eorum secreta aperiunt; facultates intellectuales exercent ad musicam, poesin, scientiasque; vehementia crebro, et vesana sunt proposita; augetur musculorum vis; palpitat cor; commoventur pulsus. Generatim ubi major est mentis tumultus, vehementiores sunt corporis motus, animique affectus, ut in somnambulismo, qui dicitur furens. Somnambulo enim insolita suscipit, praesagit futura, gesticulatur, plaudit pedibus, vesanique hominis aspectum sumit. Excusso paroxysmo, resipit, sed sine rerum peractarum memoria. Hujusmodi paroxysmi modo ordinatim, modo sine ordine regrediuntur, et virium infirmitatem relinquunt. Anteaquam de paroxysmorum signis sermonem absolvamus, animadvertendum est, quod somnambulones difficulter excitantur, quia somnus profundior est, ac ille sano-

rum; sed non tam profundus, ut ille cataleplicorum. Idcirco in vulgari somnambulismo excutitur somnus; sed in cataleptico, utpote caussae profundiores, et pertinaciores, sensus obruuntur; nec suscitari possunt, nisi cum post aliquod temporis spatium harum caussarum actio cessaverit.

§. 1602. Caussa somnambulismi imaginatio ita in somno sublata videtur, ut aeger è lecto surgat, ambulet, operetur. Adolescentes, maxime circa pubertatis tempus, propter partium generationis incitamentum, ad somnambulismum magis inclinant, quam juvenes, senes, foeminae; sic illi temperamento plethorico, et nervoso, et vivida imaginatione praediti, et a somnambulonibus parentibus editi. Quae agunt in commune sensorium et in nervos, et morbum incitant, sunt ebrietas; larga coena; alimenta inflantia, et concoctu difficilia; opium, et narcotica; studium post coenam; decubitus supinus cum depresso capite; animi pathemata, ut terror, amor, zelotypia; aër nebulosus; vermes, et gastrica labes; qui-

dam praegressi morbi, ut catalepsis, epilepsia, convulsiones hystericae; externae injuriae, ut capitis percussiones; vulnera, quae plexum solarem attingunt.

§. 1603. Quamvis somnambulones effugiant pericula, tamen in suis illusionibus, et nocturnis umbris occumbunt, aut vario modo laeduntur, aut in alicujus offensionem incurrunt. Somnambulismus difficillime avellitur, ubi haereditarius est. In universum expeditius in pueris, et foeminis curatur; interdum properante senectute sponte se surripit. Subinde in melancholiam, delirium, catalepsin, epilepsiam, et apoplexiam transit.

§. 1604. In tanta caussarum caligine, locandi saltem ita sunt somnambulones, ut, dum expergefiunt, non subeant pericula; et aptum diaeteticum regimen statuendum est. Quapropter eligatur cubiculum, cujus fenestrae clathrentur; et somnambulones vinciantur fasciis. Non ponatur vas frigida plenum, sicut nonnulli faciunt, ut somnambulo in hoc mergendo pedes, errorem intelligat. Hoc enim modo talis injici

potest terror, ut consequatur delirium, alterve morbus. Utilis est pueris aliquis increpitus, vel levis punitio; sed non fustigatio, ut nonnulli diri homines credunt, et faciunt. Aër sit purus; modica corporis exercitatio; parva coena; sobrietas; decubitus in latera, elatoque capite; deflexus imaginationis; avocatio, et animi quies. Somnambulismi accessus non est abrumpendus; nam, in quibusdam praesertim locis, alea plenum foret. Tamen dum locorum natura, et levis morbi gradus sinat, frigidam aspersionem, et aliquam commotionem periclitari licebit. Ad supprimendum, et praecavendum morbi accessum plura sunt interna et externa remedia, quae nisi caussae vinci, et amoveri possint, inania sunt. Nulli igitur pharmaco fidamus; quamvis interdum venae sectiones, purgantia, emetica, antispasmodica, narcotica, anthelminthica, amara, vinum, balnea generalia tepida, calida balnea pedum, vesicantia juvissent.

SPECIES TERTIA

Pavor in somno

§. 1605. Subitanea interna impressio, quae cum metu excitat a somno, dicitur pavor. Ab Hippocrate aph. 24. lib. III. φόβος, quem inter puerorum morbos numerat, ut ab hoc commemorato aphor. patet = In aetatibus autem talia eveniunt. Parvis quidem et recens natis pueris, aphthae, vomitus, tussis, vigiliae, pavores, umbilici inflammationes, aurium humiditates = Hic morbus appellatur a Sennerto Cap. 8. de morbis infantum pavor nocturnus, et pavor in somno; a Sauvages Nosol. meth. cl. VIII. pag. 223. panophobia. Familiaris est lactentibus; frequens pueris, et juvenibus; rarior adultis. Saepe nascitur ab internis caussis, et ideo differt a terrore, qui utplurimum ab externis caussis ortum habet. Quoniam etiam nascitur ab aliis morbis systema nervorum maxime afficientibus,

hinc in primarium et symptomaticum distribuitur.

§. 1606. Infantes lac sugentes extemplo maxima agitatione, tremore, ululatu, et fletu saepe expergefiunt, et ita movetur vultus, ut internam agitationem ostendat. Hoc etiam evenit pueris, adolescentibus, juvenibus, qui nocturnis visis perterriti, et tremantes excitantur, non raro lectum deserunt, et tranquillitatem exquirunt. Interdum etiam adulti metuendis imaginibus expergefacti gemunt, suspirant, palpitant, pallent, tremunt, et animo defecti cadunt. Pavor est frequens pueris, qui laborant vermibus, et a Sauvages panophobia verminosa nuncupatur. Tum apparent signa vermium ex quorum stimulo, praecipue si ex ventriculo in oesophagum scandere nituntur, cum caeteris symptomatibus inducitur pavor. Sic excitatur ab affectione hysterica, et hypochondriaca ob ingentem nervorum sensibilitatem, a qua etiam vigiliae tempore a minimis caussis producitur pavor. Panophobia frontis Sauvagesii pertinet ad hypochondriacum et hy-

stericum pavorem, ut assidua inquietudo, consortii fastidium, metus, et sollicitudines demonstrant.

§. 1607. Caussa proxima esse videtur subitaneus et internus in nervorum systema impulsus, magis in cerebrum adnotandus, unde continuo et cum formidine perditur somnus. Nervorum nimia sensibilitas et mollities faciunt, ut impressiones sentiantur, quae in statu perfectae valetudinis non perciperentur. Hinc caussae, quae ad nocturnum pavorem disponunt, sunt aetas infantilis, in qua maxima est nervorum sensibilitas; ita temperamentum debile; mollis institutio; voluptuosum vivendi genus. Caussae autem excitantes sunt in lactentibus pravae lactis qualitates; laboriosa dentium eruptio; gastricae impuritates, et aciditates; flatus; aër cubiculorum nimis calidus, impurus, non renovatus: in pueris, adolescentibus, juvenibus, mastrupatio; fabellae; rerum horribilium narrationes; improvisus terror: in adultis, animi affectus, sollicitudines; immoderata venus, et impropriis horis peracta; nego-

tia magni momenti; potiones calefacientes; lautae coenae. Plures autem sunt aegritudines quae pavorem inferunt, ut vermes; hysterica, et hypochondriaca affectio; exanthemata; calculi variarum corporis partium; hydrophobia.

§. 1608. Interdum pavor in somno est levis morbus, et ultro disperditur; interdum gravis, et periculosis morbis occasionem praebet, ut epilepsiae, cordis palpitationibus, animi deliquiis. Si diu persistat pavor, aufert noctis quietem, pallorem inducit, profligat vires, functiones omnes, maxime digestionem, pervertit. Haec foenomena non solum medicis, sed omnibus cognoscuntur. Horatius Od. V. Epod. inter diras precesque Thyesteas, quas desperatissimus puer in Canidiam veneficam, ejusque socias inhumanas, etiam veneficas, misit, est noctis pavor, ut hisce versibus liquet „

Et inquietis assidens praecordiis
Pavore somnos auferam. „

Praeterea pavor esse potest indicium venientis morbi, ut in adultis dementiae; in pueris eclampsiae, variolarum, morbil-

lorum. Cum est alterius morbi symptoma, hunc auget. In hydrophobia ex. gr. praeter aquae horrorem, adeo saepe urget pavor, ut inde morbi amplietur anxietas: dum adsunt vermes, praesertim oesophagum scandentes, frequentes pavores extendunt morbi incommoda, et praefocationem minitantur.

§. 1609. Si apud lactentes a foeditatibus, et aciditatibus ventriculi, et a pravo lacte nascatur pavor, dentur levia purgantia, ut oleum amygdalarum dulcium; syrupus florum persicorum, aut cichorei cum rhabarbaro: nonnunquam etiam eccoproticis juvat purgare nutricem. Ubi vero signa sunt aciditatum ventriculi, praefertur magnesia pura, quae ad aliquot grana etiam infantibus suppeditatur. Si flatus evolvantur a ventriculi cruditatibus, aptus est syrupus rhabarbari cum aqua foeniculi, scilicet in uncia hujusce aquae dimidia uncia syrupi rhabarbari; et hujusmodi mixturae quavis hora parvum cochlear. Quoniam vero ubi sunt impuritates et flatus, premunt abdominis dolores et tensio, clyste-

res emollientes, unctiones oleosae, et emollientia fomenta fiant. Sic ubi sunt vermes, cum purgantibus anthelminthica. Ubi dormiunt pueri, purus servetur aer, nunquam nimis calidus, et suffocans. Admonendae sunt nutrices, ancillae, et omnes educationi infantum addictae, ne fabellis, et narrationibus eos exterreant. Ita pro juvenibus et adultis removenda est caussa morbi, et quaevis librorum lectio, quibus execranda facinora referuntur. Non raro pavor in somno est effectus inflammationis cerebri, quod cognoscitur ab aliis signis ejusdem inflammationis; et tum prompta sit atiphlogistica methodus. Si pavores in somno excitentur ab eruptione variolarum, vel morbillorum, haec obsecundanda est.

SPECIES QUARTA

Insomnia terrifica

§. 1610. Ut insomnia jucunda exhilarant, et offerunt signa perfectae valetudi-

nis, et animi tranquillitatis; ita terrifica nocent, et infirmam valetudinem, turbatum animum, et aliquem morbum indicant. Primum Sacrae Scripturae loquuntur de insomniis; deinde medici, philosophi, literati, qui de illis bonis, vel malis, vel terribilibus disputarunt. Hippocrates scripsit librum de insomniis, de quibus interpretes disseruere. Insomnium, graece ὄναρ, est secundum Aristotelem, lib. de somno et vigilia, phantasma, idest species in somno. Cum vero hujusmodi phantasma cum angore et formidine contingit, dicitur insomnium terrificum, quod saluti hominum nocuum est. Somnia quidem vel bona vel mala in salutem influunt. Inquit Hippocr. cit. lib. = Quisquis de his, quae in somnis obveniunt recte conjectat, is magnam habere vim ad omnia, ipse reperiet. =

§. 1611. Plura symptomata comitantur terrifica insomnia, quae scilicet circa metuenda versantur, ut furta, incendia, caedes, vulnera, aggressus, ultiones, excidia, et omne facinorum genus. Haec symptomata sunt pavor, angor, clamor, amis-

sio somni, pulsus celer, palpitatio cordis, mutatio vultus, gemitus, ploratus, et quae desperationem ostendunt. Otho, ut refert Svetonius, nocte, qua contingit caedes Galbae, in somno perterritus, acerbos edidit gemitus, et fuit ante lectum humi jacens inventus: hinc manes Galbae, a quo deturbari se viderat, omnibus piaculorum generibus propitiare experiebatur. Post autem terrifica insomnia remanet virium debilitas, moeror, faciei pallor, palpitatio cordis, anxia respiratio, inappetentia, digestio difficilis, timor. Haec graviora fiunt, quo magis horribilia visa frequentia in somno sunt.

§. 1612. Cum ab immediata Dei voluntate terrifica insomnia non veniant, oriri videntur ab eadem caussa pavoris in somno. Etenim ut illa perturbatio et impulsus in nervorum systema pavorem, sic horrida insomnia afferre potest. Hisce insomniis magis obnoxiae sunt foeminae, quam mares; magis debiles et sensibiles, quam vigentes, et robusti; magis studio, et vitae sedentariae dediti, quam artes exercentes et villici. Afferunt vero occasionem torquen-

tes animi affectus; vicissitudines aëris subitaneae; alimenta inflantia et non concocta; lectio horribilium historiarum, et fabularum circa heroica facinora; patrata scelera; conscientiae stimuli. Nunquam Nero somniavit, ut inquit cit. Svetonius, nisi post matrem interfectam. Haec insomnia confundenda non sunt cum illis, quae veniunt a Deo, ut a culpis desistamus. Ex Sacris libris deducitur, quam apud servos Dei frequentes erant visiones et insomnia, quibus Deus ipse voluntatem suam expediebat.

§. 1613. Non solum caussae, sed etiam subjecta, in quibus insomnia versantur, exquirenda sunt, ut cognoscamus quae ipsa sint, qui morbi praesentes, quique futuri. Insomnia quae veniunt a cibis incoctis, inflantibus, nauseosis, facile possunt vitari; contra si a caussis, quae liberam impediunt circulationem sanguinis, ut ingentes obstructiones viscerum, aut vitia vasorum et cordis. Ut autem placida somnia, quae actiones praecedentis diei, aut cogitationes repetunt, bona sunt; sic mala, si

morbum periculosum significant. = Dum assurgit acuta febris cum gravi et assiduo capitis dolore, insurgente delirio, insomnia flammarum et incendiorum cerebri inflammationem ostendunt. Sed in cursu acutorum morborum haec insomnia flammarum, et scintillarum prae oculis, imminentem crisin per nasalem haemorrhagiam indicant. In palpitationibus cordis, pulsibusque inaequalibus turbulenta insomnia nos de vitiis cordis, magnorumque vasorum certiores faciunt. Nobilem curabam mulierem cordis et aortae aneurysmate laborantem, cui frequenter in somno latronibus esse deprehensa, et interfecta videbatur. Haec eadem insomnia futuros morbos significant. In hominibus ex. gr. moerore affectis, silentibus, miseris, sensibilibus futuram dementiam demonstrant. Eodem lib. ait Hippocr. XXI. = Fluminum transitiones, et hostes armati, monstra formae peregrinae, morbum, aut insaniam significant. = Vidi hominem, qui ligari, venenum sumere, dolores pati intolerabiles, et esse morti proximum somniabat, mox in maniam fero-

cissimam delabi. Etiam eadem insomnia possunt caussas retegere, unde moventur. Hinc scripsit Hippocr. eod. lib. XVIII = Si quis vero per somnum edere aut bibere consuetos cibos ac potus sibi videatur, inopiam alimenti significat, et animae tristitiam. =

§. 1614. Si terrifica insomnia sanitati hominum damno sunt, ea amoveri necesse est. Idcirco abducendae sunt caussae, et quaedam habendae diligentiae. Generatim qui agitantur insomniis, antequam se lecto componant, nec legant libros horrenda facta referentes; nec animo tristia revolvant; nec ad memoriam casus adversos revocent; nec res molestas cogitent; nec negotia magni momenti, et periculi tractent: sed potius ab hisce se avocent musica, quae pathemata non suscitet; per amoena rura deambulatum eant; levia et nutrientia alimenta comedant; se vectione et equitatione exerceant, quo rubustius fiat corpus et nimia sensibilitas moderetur. Quoad vero medicamenta, secundum caussas varia sunt. Si ergo insomnia nascantur a repletione et indigestione alimentorum, primum detru-

dendae sunt impuritates. Hippocrates laudat vomitum, qui ab emeticis movetur; levissimos cibos per aliquot dies, qui nec calidi, nec acres, nec sicci; labores naturales, si excipiantur ambulationes a coena; balnea; calida lavacra; otium; sol vitetur, et frigus. Si caussa sint animi pathemata, homines pereunt, si ab hisce non retrahantur, et non reficiant spiritum. Si sint obstacula, quae liberam circulationem impediunt, alia possumus expugnare, ut obstructiones resolventibus; alia sunt insuperabilia, ut organorum vitia.

SPECIES QUINTA

Jactatio

§. 1615. Agitatio, quae ad somnum usque recubantes comitatur, et somnum ipsum impedit, dicitur jactatio. Est utplurimum symptoma alterius morbi; sed interdum affectio primaria est. Hujus caussae sunt abusus vini, et spirituum; vermes;

animi pathemata; immodica venus; mastrupatio; alicujus suetae haemorrhagiae retentio. Aliquando contingit in hominibus haemorrhoidibus obnoxiis, ante haemorrhoidum ipsarum cursum. Jactatio, quae evenit in illis, qui ex somno transeunt ad vigiliam, est omnino symptomatica. Qui hanc patiuntur, dum expergefiunt, sunt anxii, et in actu respirationis obruti; eructant; in cursu diei non bene se habent; nam palpitat saepe cor, et pulsus est celer: ut homines hypochondriaci, et foeminae hystericae; qui in concoquendis alimentis ob aliquam ventriculi affectionem morantur; et qui aliis convulsivis morbis affliguntur.

§. 1616. Tam ad praesagium, quam ad curationem instituendam, distinguere est, an jactatio primaria sit vel symptomatica; et quae sint caussae. Hae interdum deturbari non possunt, et tum somni imminutio, et functionum laesio, gravia mala, et consumptionem inferunt. Si proficiscatur jactatio a suppressis haemorrhoidibus, et in hominibus plethoricis, expedit sanguinis missio, et haemorrhoidum fluxus

est revocandus: si a vermibus, purgantia, et anthelminthica: sic de reliquis casibus dicendum est. In universum vero balnea tepida, pediluvia, clysteres, aliqua levis purgatio, et aptum diaetae regimen auxiliantur. Si autem jactatio post somnum corripiat, primarius morbus curationem indicat; sed generaliter balnea, animi quies, aëris mutatio, rusticatio adjuvant; et aegrotantes se se gradatim excitandi è somno habitudinem contrahant.

SPECIES SEXTA

Ardor

§. 1617. Calor sani hominis est hyeme gr. viginti septem thermometri Rheaumurii; et aestate triginta, aut triginta duorum. Si igitur hi superentur gradus, consequitur ardor, qui non est semper aliorum morborum symptomata, sed interdum primarius, cujus inter symptomata adnotabilis est somni defectus. In quibusdam

febribus pervenit calor ad gradum trigesimum quartum ejusdem thermometri, et interdum etiam hunc gradum praetergreditur. Ultra vero trigesimum octavum gradum humani corporis partes laeduntur, et diruuntur. Aquae thermales praeter quadragesimum secundum gradum tolerari non possunt, nisi per exiguum temporis spatium, et si diutius in ipsis humani corporis partes maneant, inflammantur.

§. 1618. Subinde ardor est primarius morbus, subinde symptomaticus, scilicet febrium biliosarum, ardentium, gastricarum, hecticarum, et inflammationum comes. Ardor autem est universalis, aut partialis, cum aliquam tantum corporis partem occupat. Siquidem ardor non semper perstat, sed interdum fugax est, Sauvages, aliique Nosologi hunc vocavere volaticum.

§. 1619. In ardore corporis rarefiunt fluida, distenduntur vasa, rubescunt partes, sensus fervoris percipitur, anxia fit respiratio, et aufertur somnus. Cum ardor volaticus per faciem diffunditur, deprehenditur rubor, ut in adolescentibus, vere-

cundis foeminis, et hominibus maxima sensibilitate donatis saepe evenit. Permansio hujusce ardoris statui non potest; vulgo tamen creditur, a quindecim ad viginti usque temporis momenta extendi, et deinde erumpere sudor. Pluries in juvenibus ardorem faciei non fugacem vidi, sub quo paullatim arescebat cutis, nec postea manabat sudor, sed consequebatur inquietudo, et capitis dolor, qui interdum per copiosum sanguinis cursum è naribus solvebatur. Est quidam faciei ardor valde fugax e levibus caussis ortus, ut a pudore in virginibus, et adolescentibus bene moratis, in quibus faciliter irritantur vasa sanguinea, et nervi, et hinc manat sudor, et solvitur ardor. Sed si veniat ab efficacioribus caussis, ut a vehementi ira, nec ardor est fugax, nec sequitur sudor, at cutis est arida, caput dolet, fugitque quies.

§. 1620. Ut foenomena caloris animalis, sic ardoris caussam proximam exponere expeditum non est. Neminem praeterit quot absurdae hypotheses ad calorem animalem explicandum ante Lavoisier fuerunt

emissae; inter quas celebriores fuerunt calor innatus, et respiratio ad refrigerandum sanguinem constituta; cor ad servandam humani corporis temperiem dicatum; effervescentia sanguinis propter contactum sulphuris et salis volatilis, aut propter unionem acidi cum alchali, quae in chylo existunt; existentia phlogisti; principium igneum, quod continetur aëre atmospherico; et sub respiratione in sanguinem penetrans propter majorem affinitatem, quam ipse aër atmosphericus habet cum phlogisto è pulmonibus erumpente, quam cum igneo, quod continet, principio; tandem nitrosum principium in aëre diffusum, et respirationis ope absorptum. Sed vix nova surrexit chemia, Lavoisier, Sequin, De la Place, aliique demonstrarunt, calorem animalem esse effectum combustionis hydroginii et carbonii ope oxyginii sub respirationis actu. Non omnes vero posteriores in hac fuerunt sententia. Etenim Brodie, aliique hoc foenomenon nervorum influxu exposuerunt; dum alii existimant non solum a respiratione, sed a pluribus functionibus oriri, et

hujusmodi foenomenon necessario esse vitale. His animadversis, mihi videtur ad calorem animalem evolvendum nervorum influxum conferre. Respiratione enim admittitur oxyginium; hoc circulatione cum nutritionis elementis ad omnes partes et organa transfunditur, ubi maxima probabilitate nutritio et caloris animalis evolutio eodem tempore locum habet. Ut igitur probabilis est hujusmodi nervorum influxus; sic verisimile, quod nervei systematis perturbatio, sicut corporis nutritionem laedit, calorem ita animalem vel imminuat, vel augeat. Caussa igitur proxima ardoris verisimiliter est quaedam nervorum, vasorumque irritatio, ut ipsa foenomena, quae eum comitantur, ostendunt. Magnam ad ardorem propensionem habent homines sensibiles; qui alias aegritudines nervei systematis passi sunt; qui non bonis gaudent humoribus, et animi pathematibus, praesertim ira afficiuntur. Hunc ardorem excitant quaedam alimenta, aut nimis salsa, aut nimis aromatibus aspersa; abusus vini, et spirituum; calor aëris; defectus men-

struorum, vel haemorrhoidum vel consuetae alterius haemorrhagiae. Ardor volaticus, faciei rubore stipatus, frequens est in hystericis mulieribus quae eodem tempore pectoris oppressionem et anxietatem tolerant. Frequenter etiam in virginibus ob nimiam nervorum sensibilitatem, menstruis erupturis, comparet.

§. 1621. Ardor, praecipue universalis, est molestus, et interdum periculosus, quia irritationes, quae ardorem afferunt, possunt partium inflammationes parere. Partialis ardor est saepe incommodus, maxime in sensibilioribus, in quibus post assumptum alimentum circa ventriculum et intestina divexat. Sed tam in universali, quam in partiali ardore lustrandae sunt caussae. Abiit enim ubi hae sunt leves; contra si graves, ut prava humorum indoles, ingens nervorum sensibilitas. Ardor volaticus est saepe fugax, quia natus a majore impetu, quo sanguis fertur ad caput, sese per ramos externarum carotidum diffundens. Cum autem ardor est symptomaticus, aut est leve symptoma, ut in affectione hysterica,

et hypochondriaca ; aut grave, ut in febribus biliosis, ardentibus, inflammationibus, praesertim viscerum; aut gravissimum, ut in phthisi pulmonari, ubi magis profligat vires, absumitque.

§. 1622. Quandoquidem ardoris caussae non semper cognoscuntur, ideo curatio generalis interdum est instituenda, ut usus rerum refrigerantium et diluentium, ut potiones nitrosae, subacidae ex succis vegetabilium, aut acidis mineralibus; emulsiones seminum melonum, aut cucurbitularum ; aqua cum syrupo granatorum, ribesii, nympheae; decoctiones hordei; aqua Selterrana: pulvere temperantes ; clysteres ex aqua hordei; affusiones frigidae. Decumbat aeger lecto equinis crinibus infarcto. Si vero ardoris intelligatur caussa, huic opponantur remedia. Si itaque caussa sit aliqua haemorrhagia retenta, haec revocetur, praesertim hirudinibus, et cucurbitulis, diversis partibus appositis: si vitium humorum, hoc est exquirendum, sed generatim juvant serum lactis asinini, succi et decoctiones herbarum recentium, bal-

nea, idoneus victus. Cum ardor est symptomaticus varia esse possunt remedia, sed utplurimum purgantia, emetica, anthelminthica, absorbentia, balnea, maxime si primarius morbus sit affectio hysterica, vel hypochondriaca.

GENUS QUARTUM

Depravatio auditus

§. 1623. Utplurimum propter aliquam pathologicam conditionem depravatur auditus. Interdum hic est valde acutus nervorum sensibilitatis caussa, ut magni perferri non possint soni; sed hujusmodi auditus acer non constituit morbum. Cum vero est acutissimus, et a sonis etiam levibus generantur spasmi, dolores, lipothymiae; aut obtunditur; aut in auribus continue habetur strepitus, murmur, sibilus, tum certe morbus est. Cum est acutissimus aliorum morborum, praesertim nervei systematis, et vehementis capitis dolores, si-

stit symptoma. Est primarius si a debilitate membranae tympani, et nervorum retunditur auditus; aut si nervus acusticus, et labyrinthus ita afficitur, ut impediatur motus ossiculorum catenae, quae est inter tympanum et fenestram ovalem, unde vel obscure, vel non percipiuntur soni; aut si ob nimiam sensibilitatem nervorum perstrepunt aures. Hujusmodi auditus depravationes habent specificos characteres, ideoque in hoc genere quatuor includimus species, scilicet dysecoea, paracusis, cophosis, syrigmus.

SPECIES PRIMA

Dysecoea

§. 1624. Dysecoea est auditus difficilis, ut ab ipsa voce patet, ex δυς difficile, et ακȣω audio, composita. Est primaria, symptomatica, secundaria, critica. Primaria nascitur a debilitate membranae tympani, et nervorum, unde non recte ad la-

byrinthum fit soni transmissio: symptomatica a morbis generalibus, vel localibus; acutis, vel chronicis; ut a lue venerea, coryza, polypo narium, aurium affectibus et vitiosa structura, condensato cerumine, extraneis corporibus in meatum auditorium illapsis, vermibus, insectis, membranae tympani duritie, illiusque fistula, carie ossium tympani, obstructione tubae, etc: secundaria vel ab aliqua metastasi, vel ab alio antecedenti morbo: critica acutis febribus, cum praeparatur crisis supervenit.

§. 1625. Dysecoea a membranae tympani atonia frequens est, eamque suscepta humiditas, vel catarrhus glandularum ceruminosarum, vel diutinus serosus fluxus aurium, vel erosio musculi tubae gignit. Illa a duritie membranae tympani est apud senes familiaris; sed non raro producitur a syphilitica lue. Aliquando rumpitur membrana tympani, aut a pure intra tympanum collecto, aut sub sternutatione, aut ab auriscalpio vehementer in aures immisso. Fistulat haec membrana, si caries ossa tympani rodat, quod a foetore, et pure

exeunte cognoscitur. Interdum obstruitur tuba, idque conjicitur, si dum obturantur aures, et baculum dentibus retinetur, non percipitur fidium sonus.

§. 1626. Facile dysecoea in perfectam surditatem convertitur, praesertim senio. Dum ejus caussa levis, ut collectio, et densatio ceruminis; affectio gastrica; suscepta humiditas; corpora extranea, quae extrahi possint, discutitur. Contra si venit a perforatione, et a fistula membranae tympani; ab obstructione tubae; licet observandum est, quae hujus sit obstructionis caussa. Insanabilis vero est in senibus, quae a duritie membranae tympani proficiscitur. Symptomatica diversos habet exitus, ut si dysecoea est symptoma coryzae, expedite vincitur, contra si venereae luis.

§. 1627. Curatio pro caussarum varietate discrepat. Si dysecoea nascatur ab atonia membranae tympani et nervorum, ut a temperamento, et a caussarum cognitione deducitur, remedia sunt incitantia, ut oleum amygdalarum dulcium cum aliquot guttis liquoris anodyni mineralis Hoffm.,

aut laudani liquidi Sydenh. ; oleum rutae in meatum auditorium inductum; injectiones ex aqua Reginae Hungariae, aut ex vino albo ; vesicantia post aures; electricitas. Si vero temperamentum sit sanguineum , et magna nervorum sensibilitas , detur extractum hyoscyami albi; folia digitalis purpureae a dimidio grano, usque ad granum, et amplius. Si vero dysecoea sit symptoma gravedinis , opem ferunt tepidae potiones , et leviter diaphoreticae ; inspirati vapores emollientes ; diaeta tenuis ; si luis venereae , antivenerea , maxime mercurius : si oriatur a metastasi , ad loca convenientia revocentur morbosae materiae. Ad imminuenda dysecoeae incommoda , cornu nativo , vel argento , vel cupro finguntur cornua acustica , quae manu tenentur et auri inseruntur.

SPECIES SECUNDA

Paracusis

§. 1628. Paracusis, latine subauditio, est confusa sonorum perceptio, ut nomen indicat a παρακȣω, non bene audio, deductum; quia soni confuse ad labyrinthum trasmittuntur. Paracusis vero propter symptomatum dissimilitudinem variis nominibus appellatur, quae secundum Sauvages sunt Barycoia, Oxycoia, Paracusis duplicata, et Willisiana. Barycoia dicitur, cum soni vehementes confuse sentiuntur; nam hi soni indistincte percellunt aures. Si soni debiles sint, bene percipiuntur, praecipue si interpolentur; nam organa hisce sonis sunt magis apta, unde nulla nascitur confusio. Oxycoia vero est sonorum acutorum intolerantia, maxime si discordes sint, qui non solum perturbate auribus capiuntur, sed etiam excitatur capitis dolor. Utplurimum est cephalalgiae, encephalitidis, otalgiae symptoma. Paracusis

duplicata definitur, si una ex auribus bene audit, altera vero diversum sonum percipiat. Willisiana, si soni mites non audiuntur, sed strepentes, ut loquela quae strepitum edat; nam organa torpent, multaque egent commotione. Caussae, prognosis, curatio eadem fere est ac illa dysecoeae.

SPECIES TERTIA

Cophosis

§. 1629. Cophosis, κώφωσις, latine surditas, est obscura sonorum perceptio, quae in perfectam, et imperfectam distinguitur. Est perfecta, si soni, etsi validi et resultantes non audiuntur; imperfecta, si non bene; quamvis alta voce et in vicinia aurium emittantur soni. Cophosis primaria generatur a caussis, quae auditus organon non laedunt, sed ineptam ad motum reddunt ossiculorum catenulam, quae inter tympanum jacet et fenestram ovalem; aut a defectu aëris in cavitate tympani;

aut a deficiente elasticitate illius. Ergo in surditate perfecta desiderantur ossiculorum vibrationes; quae requiruntur, ut ad labyrinthum externae vibrationes perveniant: in surditate vero imperfecta non deficiunt ossiculorum vibrationes, sed haberi non possunt, nisi ingenti sonorum vi. Cophosis autem saepe symptomatica est. Multimodis venerea lues organum auditus offendit, scilicet aut laedit tubam Eustachianam; aut inspissat cerumen; aut producit herpetes, ulcera, exostoses, ossiumque cariem. Affectiones hypochondriacae, comatosae, apoplecticae, epilepticae; internae aurium suppurationes plus minusve organum auditus lacessunt. Aliquando cophosis supervenit herpetibus, aliisque impetiginibus, aut imprudenti vel spontaneae inveteratorum ulcerum exiccationi. Saepe in acutis morbis critica est, si circa eorum finem comparet cum aliis instantis criseos indiciis, et modo per haemorrhagiam copiosam narium, modo per diarrhoeam biliosam; modo per sudorem, ut primarius morbus, resolvitur. Inquit Sauvages Tom. I. Nosolog. method.

pag. 760. = Surditatem criticam vidi aliquando, deinceps terminatam oborto sudore. = Cum cophosis est congenita, homines ab ortu surdi sunt et muti; sed eminenti ingenio, acerrimo visu, gustu, tactu plerumque donantur: hinc si optimo dirigantur praeceptore, sibi possunt loquelam conciliare.

§. 1630. Cophosis primaria a pluribus caussis progignitur, ut ab aëre frigido, frigido et humido; ingenti fragore; terrore, nimia venere; violentiis externis: symptomatica a morbis aurium, ut obstructione canalium auriculae, vel tubae Eustachianae, vel utriusque; structura tympani vel labyrinthi ulcere diruta; ossium carie, vel exostosi; lue venerea, unde aut ulcera, aut exostoses in media vel interna aure producuntur: secundaria a praecedenti apoplexia, epilepsia, hemiplegia, suppuratione internae auris, sicut in gravi otalgia, variolis, encephalitide contingit.

§. 1631. Generatim cophosis est curatu difficilis, tamen expellitur, si caussae sint leves, ut abundantia, et densatio ce-

ruminis; corpora in aurem illapsa, quae eripi possint; asperum frigus; ingens fragor. Imo aliquando cophosis sponte dissipatur, ut cum membrana tympani ab aliquo fragore introrsum deprimatur; aut cum ab aliqua hujusce membranae lassitudine nascatur, siquidem sine artis ope remeat vigor. Saepe vero cophosis disperdi non potest, ubi scilicet a gravi nervi acustici affectione, vel a vitiis structurae aurium inemendabilibus dependet. Symptomatica interdum vincitur, ut venerea hydrargyrosi. Quae excipit apoplexiam, et epilepsiam, aut internam suppurationem aurium post variolas, aut gravem otalgiam, utpote effingitur fistula, utplurimum insanabilis est. Tandem congenita expugnari non potest.

§. 1632. Plura remedia pro variis casibus aptanda sunt, ut sanguinis missiones, maxime locales; vesicantia; fonticuli; setacea; ustiones; purgantia; balnea, et pediluvia; injectiones; vapores; quae introducuntur in meatum auditorum; ut succus immitis uvae, coepae, allii; oleum camphoratum; electricitas, galvanismus;

O *

instrumenta acustica. Itaque pro cophosi a membrana tympani introrsum depressa, haec ad suam positionem restituenda est; unde varii sunt excogitati modi; sed praeferenda est applicatio externae auri tubi epistomio instructi, ut è canali auditorio exugatur aër. Si vero cophosis veniat a rigenti siccaque tympani membrana propter susceptum frigus, adhibeantur laxantia, emollientia, oleosa, quae injiciuntur in aurem, ut lac, oleum, et etiam insulsi lardi frustulum. Sed si hujusmodi membrana laxa sit, utiles sunt tonicae, aromaticae, spirituosae injectiones; vapor spiritus vini; tabaci fumus. Si vero in caussa sit plethora, suppressio menstruorum, vel haemorrhoidum, aut alterius haemorrhagiae; vita deses, et sumptuosus victus, praesens remedium venae sectio est. Si morbum generavit venerea lues, linquenda non sunt mercurialia: si retrocessio herpetum, aliarumque impetiginum diaphoretica, aquae hydrosulphurosae, diuretica, vesicantia praecipue conveniunt.

SPECIES QUARTA

Syrigmus

§. 1633. Syrigmus est strepitus, susurrus, sibilus in auribus. Hunc judicavit Sauvages imaginationis errorem, quia finguntur soni, qui extra non sunt. Sed stricte hallucinatio non est, quia adsunt caussae quae agunt in nervos acusticos, et vibrationes pariunt, quae externi aëris vibrationibus respondere solent. Idem auctor dedit syrigmo diversa nomina pro sonorum et caussarum varietate; et ab istis caussis plures constituit species. Praecipuae sonorum varietates sunt bombus, seu strepitus interpolatus; tinnitus, seu rumor fere tintinnabuli; otonechos, seu sonus acutus et continuus dum voces redduntur; susurrus est murmur instar rotae, aut praeterfluentis rivi, sed interdum fortior; sibilus est sonus acutus, subtilis, continuus.

§. 1634. Syrigmus est primarius, symptomaticus, secundarius, criticus. fugax,

continuus. Primarius nascitur ab eisdem caussis ac dysecoea, et paracusis, scilicet a debilitate, plethora, nimia sensibilitate organi auditus; externis violentiis, ut ictu, colapho: symptomaticus a cephalalgia, gastricis saburris, affectione catarrhali, vertigine, febribus, obstructione tubae Eustachianae, membrana tympani introrsum depressa, inflammatione cerebri, otalgia, etc: secundarius a retrocessione materiarum morbosarum, aut a praegressis convulsionibus, et affectionibus hystericis, vel hypochondriacis: criticus contingit in acutis morbis, et utplurimum erupturum esse sanguinem è naribus indicat.

§. 1635. Syrigmi character est sonus vel continuus, vel interruptus. Ad hunc conducit ingens nervosa sensibilitas; temperamentum vel plethoricum, vel infirmum: huic vero ansam praebet ipsa plethora, et debilitas. Interdum soni aliquo modo respondent illis qui sunt extra aures; nam cessant, si hae occludantur; quod evenire non posset, si illi aliquotfariam vibrationibus externi aëris non congruerent.

Hoc quidem in ingenti nervi acustici sensibilitate usuvenit. Ab expositis caussis producitur bombus, qui est strepitus cessans. Susurrus, qui est sonus repetitus, utplurimum, diuturnus, continuus, interdum intervallo distinctus, pulsationibus cordis synchronus, saepe oritur ab externa caussa, ut insectis, vermibus in meatu auditorio; aut a sero, vel pure intra tympanum, et labyrinthum; aut turgentibus labyrinthi vasis. Si editur sibilus cum per exiguum foramen transilit aër quisque videt, propter varias caussas formari posse in auribus. Etenim aut aequilibrium interrumpitur inter internum, et externum aërem, qui per tubam Eustachianam ingreditur; aut tuba restringitur, et reluctatur pressioni externi aëris, dum internus ob suam elasticitatem renititur; aut internus aër ab externo non premitur, rima tubae diducitur, et inde cum sibilo aër in tympanum influit; aut internus aër pressionem superat externi aëris, unde in aure resonat sibilus.

§. 1636. Syrigmus a plethora esse potest levis, vel gravis; frequens, vel assiduus: a debilitate est pertinax, praesertim ab abusu veneris. In homine sano bombus, susurrus, tinnitus sunt fugaces, quia caussa est levis, ut nimium et densatum cerumen; insecta in meatu auditorio; affluxus sanguinis ad caput, unde non raro haemorrhagia narium resolvitur. Syrigmus ab exquisitiori sensu organi, oxycoea dictus, est pertinacissimus, et ad plures annos extendi proclivis, et interdum non absolute excutitur.

§. 1637. Syrigmus natus a plethora curatur sanguinis emissionibus, et aliquo eccoprotico: a debilitate tonicis, roborantibus, electricitate, galvanismo, injectionibus aquae reginae Hungariae, olei rutae, vini albi; succo coepae, porri, etc: si ab exquisitiore sensu narcoticis, balneis, victu facilis coctionis. Si syrigmus est symptoma cephalalgiae, auxilia sunt venae sectio, balnea pedum, aliquod eccoproticum: si inflammationis, emissio sanguinis, oleum amygdalarum dulcium, pediluvia, fotus, aliqua

levis purgatio, lardum insulsum in auribus: si gastricae affectionis, quae auferunt saburras: si catarrhalis affectus, potiones leviter diaphoreticae, suffitus tepidi, emollientes, resolventes. Tandem si haemorrhagiam narium promittat, haec promoveatur, ut hoc modo feliciter primarius morbus resolvatur.

GENUS QUINTUM

Depravatio visus

§. 1638. Varie depravatur visio, quia retina, nervi optici et oculi multifariam afficiuntur. Hinc perturbatur ab affectione spasmodica et convulsiva, aut a debilitate, aut a defectu sensibilitatis retinae, nervorumque opticorum, aut a spasmo unius oculi. Quocirca modo externa et immobilia objecta, aut nostrum ipsum corpus dum consistit, in gyrum agi videntur; modo nec prompte, nec absolute distingui possunt objecta; modo confuse; modo ejusdem ob-

jecti imago in locis oculorum sibi non respondentibus depingitur, unde duplicatur visus; modo cernuntur objecta, quin ulla in visionis organo facta fuerit impressio: modo idem objectum bis et amplius aspicitur, unde multiplicatur visus: modo omnino aboletur visio. Cum autem hujusmodi perturbationes habeant specificos characteres, propriasque caussas, in hoc genere ut species comprehenduntur vertigo, caligo, amblyopia, strabismus, suffusio, diplopia, amaurosis.

SPECIES PRIMA

Vertigo

§. 1639. Vertigo est fluctuatio capitis, et titubatio corporis, unde objecta circumstantia, quamvis immota, et nostrum ipsum corpus consistens, moveri videntur. Graece dicitur δῖνος, ut apud Hippocr. de Cap. vulner. XX. 4. legitur. Sed ubi tenebrae oculis obversentur, σκοτόδινος, cum

scilicet omnia circumagi, et obscura esse videntur. Ludwigius posuit vertiginem inter affectiones soporosas ob propensionem ad apoplexiam. Alii ob perturbatam imaginationem vertiginem collocant inter vesanias; alii inter hallucinationes, ut Sauvages. Hinc posteriores pathologi illam definiverunt perturbationem imaginationis, qua externa objecta, et proprium corpus videntur circumvolvi. Inquit Caldani Inst. pathol. Cap. XXIX. §. 388. = Symptoma istiusmodi definitur ea imaginationis perturbatio, qua res externae in gyrum rotari videntur. = Verum nec inter vesanias, nec inter hallucinationes locari debet vertigo, quia qui ea corripiuntur intelligunt, non esse veram objectorum circumstantium, aut proprii corporis rotationem: nec foenomena quae in hoc morbo contingunt sunt errores, sed existentia, et essentialia. Debet igitur vertigo inter nervosos morbos recenseri ut ipsae caussae, et symptomata declarant.

§. 1640. Vertigo quoad gradum vel est simplex, vel tenebricosa et caduca: quoad

originem est primaria, symptomatica, secundaria, traumatica: quoad sedem est cerebri, visionis, tactus, quia non semper afficiuntur oculi, sed etiam cerebrum, aliaeque partes praecipue musculi, qui corpus sustinent.

§. 1641. Symptomata alia generalia sunt, alia caussam aperientia. Prima sunt objecta externa, quae diversi coloris, et circumagi videntur, ut et proprium corpus, unde saepe lapsus consequitur; mens perditur, et pulsus; nausea, et vomitus; tactus hebes; interdum palpitatio cordis; aurium susurrus; et nonnunquam superveniunt symptomata apoplexiae, epilepsiae, paralysis. Alia tot sunt quot caussae. Cognoscimus caussam esse nimiam sanguinis quantitatem, si facies turgida sit et rubra; pulsus plenus; venae cutaneae tumentes; quaedam lassitudo, et ad somnum propensio; ad agendum, et cogitandum segnities; defectus alicujus exonerationis sanguineae: impuritates ventriculi, si praecedant nausea, vomitus, sapor amarus oris et ariditas; foetidus halitus, et sitis; cardialgia;

crapula, praesertim si aegri voraces, et tuburcinabundi: tabaci fumum, si nausea, vomitus; titubatio, lapsus; defectus mentis, et pulsus. Sic alia deprehenduntur symptomata dum caussa sunt vermes, venena, violentiae externae.

§. 1642. Inane foret exponere hypotheses ad explicandam vertiginis caussam animo conceptas; solum dicam, celebre fuisse virus rotans Paracelsi; inordinatam agitationem et commotionem spirituum animalium vaporosorum, et inflantium, qui tumultuariam sanguinis agitationem et vitium ostendere credebantur; conturbatum spirituum animalium motum; ferventem stomachi, aliorumque viscerum bilem. Mox Sauvages motum sanguinis retrogradum in retina, auribus, et tactus organo propugnavit. Dixit in traumatica vertigine doloris, et subsequentis spasmi caussa coronam ciliarem constringi, unde refluit sanguis in nervi optici centralem arteriolam. Quis vero sine dubitatione affirmet, hunc retrogradum sanguinis motum esse vertiginis caussam? Alii statuunt fibrarum coronae

ciliaris spasmum, quo lens crystallina obliqua redditur, aut non aeque tenduntur oculi musculi, unde sequitur objectorum rotatio. Sed quis asseveret, a spasmo, et contractione coronae ciliaris obliquam reddi lentem crystallinam, pervertique visionis axin? Alii vero admittunt motum bulbi oculi, inconscia anima: alii rapidam impressionum successionem in sensibus, et in anima: alii virium, quae corpus sustinent, defectum. Verum si vertigo est nervosa affectio, ante omnia affici debet cerebrum, retina, nervi optici, auditus et musculorum nervi.

§. 1643. Ad vertiginem propendent senes, et homines admodum sensibiles, in quibus magnam habent vim caussae excitantes, aut proxime agant in cerebrum, aliasque partes: aut versus caput propellant humores, aut frangant vires. Hae caussae sunt insolatio; ingluvies; inedia; alimenta inflantia; balnea; suppressio alicujus suetae haemorrhagiae; animi affectus, ut vehemens ira, et improvisus timor; vicissitudines atmosphaerae; immite frigus;

morbidus aër; exhalationes calcis vivae, carbonum, fodinarum; immoderata venus, et mastrupatio; venena; lolium temulentum; abusus vini, spirituum, nicotianae; odores suaves, fragrantes. Vertigo autem est symptoma plurimorum morborum, praesertim gastricarum impuritatum, vermium, flatuum, affectionis hystericae et hypochondriacae. Nulla vero est in humano corpore pars, quae ut stomachus vertiginem per consensum afferat, aut scilicet ipse sit vacuus, aut cibis pravisque succis repletus. Frequentes etiam sunt vertigines in affectionibus convulsivis, in quibus sanguis inaequaliter distribuitur, et majore quantitate saepe ad caput propellitur. Denique traumatica ab ictibus capitis, cranii fracturis et depressione, vulneribus producitur.

§. 1644. Tenebricosa et caduca vertigo omnibus periculosior est utpote habetur tanquam apoplexia levior. Primaria est symptomatica gravior; nam ab illa amaurosin, epilepsiam, apoplexiam, aliosque soporosos morbos pertimescimus. Et revera in seni-

bus apoplexiam, in juvenibus epilepsiam praecurrit. Cum vertigo sine manifesta caussa, aut in senio confectis, aut in illis jam provectae aetatis contingit, saepe abit in apoplexiam ; in juvenibus in epilepsiam ; in hominibus sensibilioribus in nervosos morbos. Si vertigo sit simplex, est minus complicata gravis. Sed interdum complicatio non est magni ponderis, ut cum affectione arthritica, et nephritica, quae saepe cum vertigine alternat. Aliquando vero complicationes lethales sunt. Symptomatica vertigo, quae venit a vermibus, et a primarum viarum sorditiis, flatibusque, expedite corrigitur. Verum aut primaria sit aut symptomatica, exquirendae caussae sunt. Hae enim interdum sunt parvi momenti ut jejunus stomachus, alvus obstructa, plethora in gravidis mulieribus; interdum graves, ut nimia sanguinis quantitas ad cerebrum, quae nisi confestim diminuatur, apoplexia percellit. Si vertigines post praegressam apoplexiam adveniant, novam hujus accessionem timere faciunt. Si vertigo capitis dolori adjiciatur, est saepe apople-

xiae prodromum signum; sed si capitis dolor superveniat vertigini, haec solvitur: nam vertigo est prodromum doloris capitis, quod, hoc corripiente, evanescit. In initio morborum vertigo saepe futuram haemorrhagiam, aut vomitum indicat. Saepe vertigines resolvuntur, si superveniat haemorrhoidalis fluxus, haemorrhagia narium, vomitus, diarrhoea, fluxus ex auribus. Vertiginosi; interdum sponte, et utiliter evomunt; interdum etiam haemorrhagia narium sani fiunt. Inquit Hippocr. Coac. Praenot. III. 60 = Vertigines ab initio sanguinis narium fluxio solvit = Interdum vertigines aut alios indicant morbos, aut infausti ominis sunt. Idem Hippocr. ibidem III. 66. haec adnotat = Ex haemorrhoide parum apparente, vertigines obortae, parvam ac modicam siderationem significat. = I. 150. = Tumores juxta aurem, in morbis longis parvi sunt. Sanguinis fluxiones ac vertigines insuper apparentes, perniciosae. = Sectio VIII. aphor. 15 = Tenebricosa vertigine laborans, et lucem aversans, et somno, ac ardore multo detentus, desperatus. = Experientia

confirmatur, tenebricosam vertiginem morbis accedentem esse exitialem.

§. 1645. Antiquis temporibus empirica erat vertiginis curatio, cum absurda specifica credebantur, ut stercus pavonis ad scrupulum exhibitum. Posteriori aevo plura data sunt remedia, sed absque ulla distinctione, ut radix valerianae sylvestris; pilulae de succino Cratonis; doronicum pardalianches Linn., cujus radix ad scrupulum porrigebatur, quae mox ut virulenta habita fuit. Nostra vero aetate varia, et utilior est curatio propter caussarum discrimen. Si enim vertigo sit fugax, satis est statuere diaeteticum regimen, et quae sint declinandae caussae: si permanens, et in caussa sit plethora, fiant emissiones sanguinis, maxime ex pede, et ex capite vel vasis haemorrhoidalibus applicatione hirudinum; pediluvia; et dentur aperientia, nitras potassae, et parca sit diaeta: si vere nervosa sit vertigo conveniunt liquor anodynus mineralis Hoffm; succinum; assa foetida; radix valerianae sylvestris; lignum quassiae amarae; cortex peruvianus: si sit rheumatica, praeter ve-

nae sectionem, utilia sunt diaphoretica; vesicantia nuchae, brachiis, inter scapulas; victus tenuis: si gastrica, in ipso insultu clysteres tepidi, et fotus; potio subacida, quies; mox emetica, purgantia, et ubi maneat ventriculi languor, cortex Winteranus, et peruvianus; martialia; baccae albae piperis nigri, jejuno stomacho, ingestae; vinum rubrum: si vero ab aliquo morbo relinquatur, et remediis rebellis sit, tentandum est setaceum nuchae, et exiguae doses calomelani, cinnabarisque.

SPECIES SECUNDA

Caligo

§. 1646. Caligo est visus vel in partem vel in totum imminutio, quae ab aliqua nascitur opacitate citra pupillam, dum in cataracta opacitas est ultra pupillam. Etenim haec affectio dependet a vitiis contentorum in camera antica, aut continentium, ut sunt cornea et palpebrae. Haec

vitia sunt obstacula, quae impediunt, ne radii ab objectis emissi ad retinam perveniant; in eodem puncto retinae coeant penicillorum lucis; oculi axes opticos dirigant ad idem objecti punctum. Qui itaque laborant caligine magis in majore, quam in minore luce vident; siquidem major radiorum quantitas internas oculorum partes penetrat. Si opacitas sit è directo pupillae, objecta tantum versus alterutrum oculi canthum cernuntur. Si autem opacitas est in alterutro cantho, necessario oritur strabismus. Plures sunt species caliginis a Sauvages recensitae, ut 1. caligo a symblepharosi, quae est palpebrae praesertim superioris, cum oculi globo coherentia: 2. caligo ab ancyloblepharo, scilicet unione palpebrae superioris cum inferiore: 3. caligo a blepharoptosi, seu a lapsu palpebrae superioris: 4 caligo a pacheablepharosi, quae est incrassatio palpebrae a tuberculis, verrucis, hordeolis: 5. caligo a nephelio, nempe a macula corneae subpellucida: 6. caligo a leucomate, quod est macula albescens et non pellucida corneae: 7. caligo a lupia,

quae palpebris adnascitur: 8. caligo a sarcomate, seu tuber carneum, laevigatum inter palpebram et oculum: 9. caligo a cancro: 10. caligo ceratocele, seu hernia corneae: 11. caligo a staphylomate: 12. caligo a pterygio: 13. caligo hyposphagma, haemalops Hippocratis, ecchymoma aliorum: 14. caligo venerea: 15, caligo hypoaema, hypochysis haematodes Graecorum: 16. caligo lactea, nempe lactis collectio in camera antica, vel media: 17. caligo a rhytidosi, quae est subsidentia, et corrugatio corneae, a defectu humoris aquei genita: 18. caligo ab ectasi, quae est obturatio pupillae a fungosis appendicibus ad ejus oras enatis: 19. caligo a synisesi, quae est obturatio pupillae a coalitis uveae labris: 20. caligo a myosi, seu suffusione, in qua muscae, vespae, et alia insecta volitantia, quae non sunt, prae oculis repraesentantur. Hujusmodi vero species plerumque symptomaticae sunt. Caligo nascitur etiam ab affectione convulsiva oculorum, unde oculi non bene conspirant, scilicet non ad idem objecti punctum axes componunt Haec saepe

producitur a lapsu, vel dum vehementer in gyrum agimur. Aliquando caligo a debilitate nervorum, aut a vasorum sanguineorum plenitudine proficiscitur, et tum vere primaria est.

§. 1647. Prognosis et curatio a caussis sumitur. Est pertinax, et non raro incurabilis, quae ab ictibus super caput oritur; sed expedite abiit, quae a nervorum debilitate, vel vasorum plenitudine apparet. Orta a convulsiva affectione oculorum etiam superatur, sed non sine labore. Si caussa itaque fuit nervorum debilitas, curatur tonicis, potissimum decocto corticis peruviani et florum arnicae; et super cilia unctionibus ex oleo amygdalarum dulcium et phosphoro, scilicet uncia olei immiscetur phosphori scrupulus: si affectio convulsiva, anodynis, et antispasmodicis: si plenitudo vasorum sanguineorum, aut defectus alicujus haemorrhagiae, sanguinis missionibus generalibus, vel localibus, et aliqua levi purgatione. Dum vero caligo est symptomatica, chirurgicis fere auxiliis curanda est.

SPECIES TERTIA

Amblyopia

§. 1648. Amblyopia est visus hebes, aut confusus. Vel relativa est, vel absoluta. Prima cum conspici non potest objectum consuetis distantiis, sed quibusdam: altera cum in quovis loco plus vel minus lucenti, quovis tempore, et situ visus est obtusus. Caussa hujusce affectus est imago confuse picta in retina. Haec confusio in amblyopia relativa contingit, cum fasciculi radiorum a puncto objecti venientium in puncto retinae non coeunt; aut cum fasciculi radiorum ex diversis objecti punctis in retinae punctum radiant, ut in myopia et presbytia. Amblyopia vero absoluta nascitur a minore sensibilitate retinae, ut in senili aetate, in qua haec affectio semper crescit ob imminutam retinae sensibilitatem. Hinc Hippocr. aphor. 31. Sect. III. inter morbos senibus spectantes, visus hebetudines numerat. In amblyopia relativa perspicilla aut con-

cava sint, aut convexa; in absoluta utriusque convexa, quae propter radiorum collectionem fortius afficiunt. Oportet autem habeant focum convenientem, qui vel est brevior, vel longior, vel longissimus. Focus, seu distantia ad quam post duplicem refractionem radii uniuntur in biconvexis est semidiameter convexitatis. Perspicilla autem progressu aetatis sint brevioris foci quia visus usque decurtatur.

§. 1649. Amblyopia crepuscularis, graece hemeralopia, est visio ad lucem crepuscularem, sive matutinam, sive vespertinam confusa. Caussa plerumque est minor retinae sensibilitas. Pupula magis dilatata quam in illis qui bene vident, conspicitur. Hac amblyopia laborantes non bene distinguunt objecta, nisi clara luce; hinc Boerhaav. illam visum diurnum appellavit. Hanc pariunt intensa et diuturna studia; continua exiguorum, et lucentium objectorum inspectio. Interdum remotis caussis sanatur; interdum incurabilis est, praecipue si a nimis imminuta sensibilitate retinae, et nervi optici producatur. Subinde haec amblyopia epide-

mica est, teste Sauvages, qui Tom. I. Nosolos Meth. pag. 732. inquit = Hic morbus duobus abhinc annis fuit in vicinia Monspelii epidemicus, maxime in oppidis flumini cuidam vicinis, ut juxta flumen quod Sauve, Somedrias, Sanctum Hyppolitum alluit, ubi, potissimum milites, noctu sub dio excubias agentes in aëre humido, et nebuloso hemeralopes evadebant. = Quoad curationem, si caussa sit plethora, aut aliqua suppressio sanguinea, expedit venae sectio: si seri superfluitas, cathartica, diuretica, vesicantia: si perspiratio cohibita, diaphoretica: si debilitas generalis, vel partialis, cortex peruvianus, radix valerianae sylvestris, vesicans nuchae, vapores carbonatis ammoniacae, qui versus conjunctivam diriguntur.

§. 1650. Amblyopia dicitur meridiana, cum objecta de die non cernuntur, sed satis distincte vespere, vel noctu. Haec fuit ab Hippocr. lib. 2. Praedict. nyctalopia nuncupata, et a Boerhaav. visus nocturnus. Ergo nyctalopes de die non vident, noctu satis. Caussa est nimia retinae sensibilitas. Interdum producitur ab opthalmia, et precipue in-

flammatione uveae, quae sub actione lucis ad sese contrahendam iridem impellit, aut est symptoma cataractae imperfectae. Si pars humoris crystallini sit opaca, et pupilla valde mobilis, cum haec de die contrahitur, si radii lucis ad opacam illam partem ferantur, non ut convenit afficere possunt retinam. Amblyopia meridiana primaria est nervosa affectio, quae ab extrema retinae sensibilitate nascitur, unde nimium ab actione lucis commovetur. Est sanabilis, si tanta moderetur sensibilitas. Ideo opem affert solutio opii super conjunctivam. Imminuta sensibilitate, ab obscuritate ad lucem lente transeundum, ut oculus paullatim huic assuefiat. Varia vero est prognosis et curatio amblyopiae meridianae symptomaticae; sed ut plurimum est ophthalmiae symptoma, et tum necessaria est sanguinis missio generalis, et localis, collyrium emolliens; levis purgatio; languida lux.

§. 1651. Dicitur amblyopia dissitorum, vulgo myopia, impotentia videndi remota objecta. Myopes non respiciunt qui alloquuntur, quia non vident circumstan-

tia. Generatim cernuntur objecta ad distantiam quindecim , aut viginti pollicum ; ergo est myops qui non videt ultra decem pollices. Myopes ut legant , oblique oculis scripta admovent , ne radii lucis colligentur, priusquam perveniant ad retinam. In myopia enim hujusmodi radii junguntur pone crystallinum, idque per multas caussas. Namque aut major est vis refringens humoris aquei et crystallini; aut cornea, et externa facies crystallini est nimis convexa ; aut retina est a crystallino remotior; aut pupula nimis patula. Ergo excitantes caussae sunt nimia corneae convexitas; abnormis convexitas superficiei anterioris capsulae lentis; densitas humorum oculi; turgor oculi ipsius; impotentia musculorum ad objectorum distantiae oculum aptandum; habitualis dilatatio pupillae. Si myopia pendeat a congenito bulbi oculi vitio immedicabilis est; sed si hoc non adsit vitium, decrescit, et progressu aetatis evanescit, et interdum transit in presbytiam. Curatio est, retardare unionem radiorum lucis, ut hi retinam attingant. Juxta dioptri-

cae leges, si oculis admoveatur perspicillum plano-concavum, aut utrinque concavum, radii venientes ab objectis remotis sibi mutuo paralleli, incidunt in oculum sibi mutuo divergentes, scilicet eodem modo ac si ab objectis proximis manarent. Si igitur adhibeantur perspicilla convenientis concavitatis, radii remoti objecti in retina uniuntur, illudque distincte conspici poterit. Semper vero exquirere est myopiae gradum, ut eligatur perspicillum congruentis concavitatis. Myopia major est quo pauciores sunt pollices, quibus legi potest. Hinc determinanda est diameter concavitatis perspicilli, et exquirendum quam objectum distare debet ab oculo. Haec distantia erit vel diameter perspicilli plano-concavi, vel semidiameter perspicilli utrinque concavi. Longinqua objecta radiant in oculos per radios parallelos; proxima vero per radios divergentes. Lentes plano-concavae, et utrinque concavae radios parallelos faciunt divergentes, ut si manarent a proximo objecto. Myopibus ergo apta sunt perspicilla concava minoris diametri, quae magis reddunt, quam

illa majoris diametri, divergentes radios, qui ab objecto remoto veniunt paralleli.

§. 1652. Amblyopia proximorum, vulgo presbytia, aut presbyopia, seu visus senilis Latinorum, est impotentia distinguendi objecta ad consuetam distantiam, quindecim scilicet aut viginti pollicum. Hinc ut scripta legantur, majore distantia ab oculo ponenda sunt, Presbyops legit ultra distantiam viginti pollicum, et librum ponit prope lucem. Caussa est serior radiorum ab objectis proximis venientium conjunctio ultra retinam. Crescit presbytia progrediente senectute cui convexum perspicillum succurrit. Plures sunt excitantes presbytiae caussae, ut minor convexitas corneae et utriusque crystallini faciei, vel alterius; nimia distantia corneae vel crystallini, vel utriusque a retina; vis refrangens corporum pellucidorum solito minor; pupillae angustia. Hisce enim caussis radii retro retinam in focum colliguntur. Pyramis ergo lucida secatur a retina priusquam radii in apicem coni constringantur. Presbytae proximiora confuse vident; sed ad trium pedum distantiam mi-

nuta objecta distinguunt. Ipsi vident per radios parallelos, aut convergentes, non per divergentes in corneam conjectos. Ut igitur videant necessaria est magna lux, et perspicilla convexa, quae radios ab objecto propinquo refrangant, ut si a longinquo venirent. Ergo necesse est invenire conveniens perspicillum, seu diametrum convexitatis hujusce perspicilli. Hoc invenitur perspicillum observatione gradus presbytiae; nam juxta hunc gradum perspicillum vel plano-convexum, vel utrinque aeque convexum eligitur.

§. 1753. Amblyopìa luscorum, a Boeraahv. lusciositas vel luscitas, est cum objecta oculis oblata oblique cernuntur. Lusci ergo oblique vident, et ad alterutrum latus flectunt faciem, et oculum ipsum, ita ut si objectum est ad dextram, oculum et faciem convertant ad sinixtram. Haec amblyopia contingit aut quia pupula est oblique posita; aut mutata corneae convexitas, vel ejus pelluciditas, aut crystallinus oblique situs; aut polus opticus nativa sensibilitate caret. Etenim hic polus est locus

retinae directe pupulae oppositus, qui naturali statu pluribus filis nerveis, sensuque exquisitiori donatur: sed si forte destituitur hac sensibilitate, oportet aliorsum dirigere visum, quo acutius cernatur. Saepe lusciositas ab aliis morbis gignitur, ut a paralysi unius vel alterius musculi motoris oculi; ex ampla corneae cicatrice; ex leucomate; ex glandulae lacrymalis scirrho. Cum constituta sit lusciositas aegre oculis possumus necessariam positionem conciliare. Si vero symptomatica sit, varia pro varietate primarii morbi esse debet curatio.

SPECIES QUARTA

Strabismus

§. 1654. Strabismus est spasmus partialis alterius oculi; unde ad visum axes optici non convergunt. Si igitur hi axes divergunt, imagines ejusdem objecti labuntur in oculorum loca, quae sibi non respondent, et hinc duplicatur visus. Sed haec duplica-

tio evenit in initio, aut in recenti strabismo; quia hic error emendatur consuetudine. Variam strabismus divisionem subit; nam modo est convergens, modo divergens; modo primarius, modo symptomaticus. Est convergens cum axes oculorum decussantur; divergens cum hi axes non consentiunt. Nosologi vero dividunt strabismum secundum caussas, traduntque signa. Strabismus a prava consuetudine dicitur vulgaris, quem contrahunt infantes in cunis: spasmodicus, a convulso musculo unius vel utriusque oculi: a paralysi, si alteruter ex musculis rectis resolvatur: catarrhalis, si ab affectione catarrhali alter musculus, ob dolorem libere moveri non possit. Interdum restituitur oculis positio, ut in pueris, si prava consuetudo non inveteraverit, et objecta coram oculis ponantur. Si vero dependeat ab atonia nervorum, confert cortex peruvianus, valeriana sylvestris: si ab affectione catarrhali, venae sectio, fotus emollientes, et deinde vesicantia brachiis: sic alia remedia, si strabismus ab aliis morbis oriatur.

SPECIES QUINTA

Suffusio

§. 1655. Suffusio, graece hypochyma, est objectorum visio, quae extra oculos non sunt. Hac ideo laborantes dicunt videre, quin existant, insecta, favillas, colores, reticulum, et alia similia. Est frequens suffusio, quae a Sauvages dicitur myodes, cum scilicet insectum vel volans, vel immotum conspicitur. Interdum observatur suffusio colorans, quae nempe sub alio quam proprio colore objecta fingit. Sic suffusio metamorphosis, qua figurae quoad magnitudinem, et positionem mutantur: suffusio reticularis, qua tenues aspiciuntur umbrae sicut araneum connexae. Haec affectio subinde oritur a cerebri vitio, ut demonstrant delirium, convulsiones, et sopores; subinde ab aliquo vitio retinae, aut nervi optici. Haec vitia sunt turgor, vel dilatatio quorundam vasorum retinae; levis ecchymosis in hujus textu; atonia retinae et nervorum

opticorum; immodica sensibilitas. Caussae excitantes sunt diutina expositio ardori solis; impulsio sanguinis ad caput; plethora; assidua lectio; observationes microscopicae. Suffusio Myodes saepe affligit oculos omnibus suis partibus expletos. Illa Danäes Sauvagesii, qua in magna luce puncta lucida non volantia, sed fixa cernuntur, ab abusu extracti hyoscyami non nunquam producitur. Reticulari suffusioni magis favent turgor arteriarum capitis, et arteriolarum retinae, quae serpunt nerveis fibrillis intertextae, et reticulum effingunt. Si in textu retinae est levis ecchymosis, expedite absorbetur sanguis, et inde evanescunt apparentia corpuscula. Suffusio reticularis interdum fugax est, interdum magis permanens: ita de aliis suffusionibus dicendum est. Suffusio Danäes est aliis magis constans. Suffusio radians, saepe ophthalmiae symptoma, inter fugaces recensetur. Suffusiones scintillantes, latine fulgura, splendores, nunc fugaces valde sunt, nunc durabiles. In phrenitide contingit suffusio myodes, quae nasali haemorrhagia se subtrahit. Curatio suffusionis varia est. Si e-

nim nascitur a plethora, secentur venae brachii, pedis, juguli; avocetur sanguis a superioribus partibus; potiones diluentes; clysmata; balnea; a lucubrationibus abstinentia; victus tenuis: si a retento sanguinis fluxu, hic praecipue est revocandus: si ab expositione actioni solis, fiant frigidae lotiones super caput, et oculos; generalia balnea tepida. Si contingat suffusio myodes, aptandum est perspicillum maxime convexum, ut trans guttulam sanguinis radii conjuncti et fortiores agant in retinam. In suffusione reticulari adhibeantur vitra colore subcaeruleo, aut subviridi, ut lucis splendor mitigetur.

SPECIES SEXTA

Diplopia

§. 1656. Diplopia, visus duplicatus auctorum, aut suffusio multiplicans, est oculorum affectio non frequens, qua bis aut multoties spectantur objecta. Aut aeger videt objecta duplicia, triplicia, etc. utrisque oculis,

et cum unus claudatur, ea videt simplicia; aut haec objecta videt semper duplicia vel triplicia, uno vel utrisque oculis. Diplopia est primaria aut symptomatica. Interdum est fugax, ut illa a lacrymis, quae totidem sunt convexae, aut concavae lentes: interdum permanens, ut illa a laesione retinae. Saepe est hydrocephali, et apoplexiae symptoma. Caussae sunt abusus hyoscyami, cicutae; inaequalitas faciei anterioris corneae, aut lentis; iris duplici pupilla; mutatus pupillae situs; lens extra suam sedem; musculorum motorum oculi vitia, et nervosi systematis ophthalmici; retrocessio impetiginum; suppressio transpirationis et alicujus haemorrhagiae; praepostera febrium curatio; animi pathemata; gastricae impuritates, et vermes. Ad hunc morbum parati sunt debiles, praesertim qui oculorum debilitate laborant. Cum diplopia non est fugax, nec levis, saepe affert alios oculorum graves morbos. Conjungitur etiam interdum morbis spasmodicis, ut doloribus capitis et dentium. Plus vel minus prompte curatur, secundum caussarum indolem, et oculorum

conditionem. Recidiva est frequens, maxime oculis debilibus et irritabilibus. Si innumerae sunt caussae, plurima esse possunt auxilia, ut venae sectiones: purgantia; exiguae ipecacuahnae doses; levia diaphoretica; cortex peruvianus, et valeriana sylvestris; vesicantia; flores zinci; assa foetida; balneum calidum oculi, quamvis interdum juvat frigidum; mercurius; magnes; sulphur; etc.

SPECIES SEPTIMA

Cataracta

§. 1657. Cataracta est abolitio visus propter opacitatem lentis crystallinae, ejusque capsulae. Breviter de hac loquar, quia frequenter paralysi nervi optici componitur; et quia maxima probabilitate dum alterantur nervi, alteratur etiam illa lympha subtilis, qui inter humorem crystallinum et capsulam circulat, obstruitque minutissima lentis vasa. Cataracta a Graecis appellatur ὑπόχυμα, a Latinis suffusio. Distinguitur in veram, et spuriam; maturam, et immaturam; duram,

fluidam, mollem; simplicem, et complicatam. Vera est opacitas lentis, aut capsulae, aut utriusque; spuria, cum camera posteriori finguntur pseudo-membranae, aut varii colliguntur humores: matura cum non amplius augetur obscuritas, lux distinguitur a tenebris, sed non colores et figurae corporum; immatura cum ad hunc gradum non pervenerit: dura, cum durior est consueto; fluida, cum lens in fluidum albidum conversa videtur, unde lactea nuncupatur; mollis, cum lens est mediocris consistentiae, nec scilicet dura, nec fluida: simplex, non aliis conjuncta morbis; complicata, si aliis morbis oculorum, aut universalibus componatur. Vera plures quoad colorem, figuram, consistentiam varietates offert. Idcirco dicitur cataracta albida, lutea, ferruginea, lactea, nigra, quae facile cum amaurosi confunditur: interdum est subrotunda, interdum producta: est dura, fluida, mollis, squamea. Cataracta quoque spuria est varii coloris, prout a pseudo-membranis, a diversis humoribus, ut a lympha, pure, sanguine dependeat.

§. 1658. Raro contingit subitanea crystallini opacitas. Haec est in initio macula, quae crescit, donec aboleatur visus. Cum lens fit magis convexa et opaca, propinqua solum objecta cernuntur. Cum cataracta incipit, volantia corpuscula, ut muscae, fila, conspiciuntur, quae deinde evanescunt, dum magis minuitur visus, et in foro pupillae, color albo-cineraceus deprehenditur. Clara luce non amplius distinguuntur objecta, sed circa vesperam, lateraliter oculum flectendo. Sic paullatim perfecta lentis opacitas. In oculo autem quaedam sunt observanda, scilicet pupilla dilatatur in dies, et aliquam refert mutationem coloris, nam evadit albida, lutea, cineracea, nigra, et interdum in fundo visibilis est motus versus anteriorem pupillae partem productus, unde cataracta dicitur tremula. Mobilis est pupilla, quia integra manet nervi optici sensibilitas, et affectio est solius lentis, et capsulae. Interdum vero mobilitas deest, aut quia cataracta adhaeret uveae, aut ita est prominens, ut in stabili dilatatione conservet pupillam. Sed mobilitas et immobilitas non

est signum evidens; nam interdum mobilis est pupilla, dum nervus opticus paralysi afficitur. Est in pueris non infrequens quaedam cataracta capsulo-lenticularis, quae distinguitur sicca squama. Haec formatur a lenta phlogosi, quae primis vitae hebdomadis a stimulo lucis producitur. Inter autem cataractas spurias frequentior est lymphatica, quae est effectus inflammationis iridis; non rara est purulenta, quae excipit inflammationem oculi, et sanguinea, quae ab externis injuriis proficiscitur.

§. 1659. Praeparat ad cataractam oculi structura, senilis aetas, humorum qualitas, haereditaria dispositio. Qui superant quadragesimum vitae annum ea frequentius laborant; sed immunes non sunt juvenes, et etiam pueri, qui interdum cataracta nascuntur. Excitant autem illam nimia visus exercitatio, maxime in minuta corpora; vehemens ignis actio; ictus, et vulnera oculorum; frequentes ophthalmiae; exanthemata, et impetigines retropulsae; materiarum morbosarum ad oculos metastasis.

§. 1660. Parum a remediis, multum

ab operatione chirurgica sperandum est. Cataracta coloris margaritae, aut expoliti ferri est ad operationem aptior. Distinguendum vero est cum operatio conveniat. Haec habet locum, et majorem probabilitatem habet boni exitus cum pupilla mobilis est; distinguitur lux a tenebris; opacitas est ubique aequalis; morbus existit in lente et in capsula; optima est oculi structura; nec hemicraniae, nec ophthalmiae praegressae sunt, nec retropulsi chronici morbi. Sed interdum tentanda est operatio, ubi parum est probabilitatis boni exitus, ne in perpetua caecitate linquantur aegri. Aliquando enim bene, prospereque successit, cum nervi optici paralysis esset. Effectu caret, cum humor vitreus dissolvitur, aut oculus hydrope, vel atrophia laborat.

§. 1661. Ante operationem, ut melior evadat humorum, praesertim lymphaticorum, conditio, levia purgantia, serum depuratum, decocta, balnea conferunt. Subinde etiam sanguinis missiones, setacea, fonticuli, vesicantia, emetica, sudorifera, cephalica juverint. Hisce praemissis, ad operationem chi-

rurgicam veniendum est. Haec fit tribus methodis, nempe depressione, extractione, reclinatione sive cheratonixi. Depressio crystallini antiquior est, et fit acu plana, et ad extremitatem dupliciter acuta. Sito aegro ad lucem, quae oblique cadat in oculum, ne constringatur pupilla, alter oculus obducitur, et caput incumbat in ministri pectus, qui illud servet immotum, et digitis palpebram superiorem elevet, quibus etiam fixum teneat oculi globum. Hinc immittitur acus juxta canthum externum oculi in scleroticam ad distantiam unius lineae a cornea lucida, circa dimidiam lineam subter ejusdem medietatem, et in cameram posteriorem penetrat; tum detineatur super oram superiorem crystallini, mox retro et deorsum urgetur, ut crystallinus et capsula in ima vitrei parte recondatur. Tegitur oculus fascia qui tertia die post operationem observetur; aeger locetur in obscuro cubiculo; non vehementer caput moveat; nec nisi gradatim exponatur oculus actioni lucis. Victus tenuis sit. Recentior est alia methodus, sive extractio crystallini et capsulae. Aeger ponitur

ut in peragenda depressionis methodo, et diductis aliquantisper palpebris, et retento oculo, inducitur mucro cultri Wenzelii, qui praefertur, in corneam lucidam, scilicet in media hujus parte, circa dimidiam lineam a sua cum cornea opaca conjunctione. Propellitur culter versus partem oppositam, quam perforat; dein hunc deprimendo, tota pars inferior corneae lucidae aperitur; tum exit humor aqueus, et interdum lens, et capsula. Si hoc non evenit, fit levis pressio super oculum, quae si ob resistentiam membranae capsularis non sufficit; haec aptis instrumentis inciditur, ut acu ad cataractam per pupillam intromissa. Post extractionem eaedem regulae ac post depressionem tenendae sunt. Tandem novissima methodus est reclinatio, seu cheratonixis, quam excogitavit Reil. Ad hanc exequendam operationem adhibetur acus, parum ab illa diversa, qua ad depressionem usus est Scarpa, quamvis magis subtilis, et minus curva. Ut vero dilatetur pupilla ante operationem aliquot guttae decoti Belladonnae in oculum injiciuntur. Collocatur aeger, ut in aliis

methodis; deprimitur palpebra inferior extremitate digitorum indicis et medii manus, quae non operatur. Inducitur acus in corneam lucidam, ad ejus partem inferiorem, et cum penetraverit in lentem, deprimitur mucro, et elevatur capulus, unde reclinetur cataracta; hinc cautim retrahitur acus. Obducitur oculus, et tempore curationis, quin aperiatur, abluitur egelida. Regimen sit antiphlogisticum. Unaquaeque methodus pro variis casibus utilis esse potest; ut pro cataractis fluidis, mollibus, lacteis cheratonixis.

SPECIES OCTAVA

Amaurosis

§. 1662. Amaurosis est visus abolitio, ut plurimum cum dilatatione et immobilitate pupillae. Dicta fuit gutta, quia credebatur a lymphae distillatione producta, et etiam serena, quia non ut cataracta obnubilat oculos. Dicitur perfecta, ubi visus omnino aboletur; inperfecta, si visus obscuratur. Vel perfecta, vel imperfecta, est primaria,

symptomatica, secundaria, traumatica; et secundum recentiorum divisionem hypersthenica, et hyposthenica. Dantur etiam amaurosi diversa nomina pro diversis diathesibus, a quibus oritur; ideoque dicitur inflammatoria, rheumatica, catarrhalis, gastrica, periodica. Amaurosis non semper eodem tempore utrosque oculos invadit; sed prius unum, post alterum. Interdum in uno deletur visus, dum servatur in alio, quandiu quis vixerit. Plerumque vero oculus qui sanus remanet, tractu temporis eandem contrahit affectionem.

§. 1663. Interdum statim, interdum sensim aggreditur amaurosis, et prodromis praenuntiatur signis, quae sunt capitis dolores vertigines, stupor, tinnitus aurium, agrypnia, delirium, paralysis, convulsiones, gustus et olfactus abolitus, oculi qui facile usu debilitantur, scintillae et flammae quae volitare videntur. Perdunt tandem oculi visum, et plerumque adest dilatatio, et immobilitas pupillae; sed aliquando haec fit angustior, et actione lucis contrahitur. Bulbus amittit nitorem; saepe mutatur positio

pupillae, sunt vasa albugineae varicosa; motus oculorum modo tardi; modo tremuli. Symptomata vero variant juxta morbi originem. Si haec sit impetus humorum ad caput, aut cohibitae haemorrhagiae, vasa sunt varicosa: si affectio catarrhalis, aut rheumatica; facilis est lacrymatio, et intolerantia lucis, dolores a bulbo ad partes vicinas errantes, visus non omnino deletus: si diathesis nervea, oculi nihil praeternaturalis offerunt: si imminuta sensibilitas, ut plurimum lente evolvitur morbus. Hujus etiam typus varius est. Modo enim amaurosis est intermittens, regularibus vel irregularibus intervallis recurrens; interdum sine ordine. Amaurosis periodica nasci potest, ut autumat Richter, ab irritatione organorum digerentium, a vermibus, et ab irregularitate menstruorum; sed nonnunquam contingit in affectione haemorrhoidali, hysterica, et hypochondriaca. Saepe amaurosis est symptoma febrium intermittentium, praesertim perniciosarum, in quarum perstat accessione, et cum hac finem habet. Est etiam symptoma apoplexiae, paralysis, hemiplegiae,

venereae luis; et tunc non desunt symptomata horum primariorum morborum. Interdum autem amaurosis corripit, dum alii morbi se subripiunt, ut sunt herpetes, aliaeque impetigines.

§. 1664. Plures asserunt caussam proximam hujusce affectionis esse statum morbosum retinae, aut nervi optici. Sed esse potest principium in ipso cerebro ad thalamos nervorum opticorum, in tractu horum nervorum, et in retina; dum caussa proxima est ut plurimum defectus sensibilitatis retinae, nervorum opticorum. Caussae vero quae disponunt, inveniuntur in ipsa oculi structura. Qui enim laborant oculorum torpore, saepe in amaurosin incidunt. Aetas nihil influit, nam in quavis aetate invadit; sed plus juvenes quam senes. Nigri oculi plus quam caerulei amaurotica caecitate corripiuntur. Sunt quaedam familiae admodum amaurosi obnoxiae, unde haec recensetur inter haereditarios morbos. Excitant autem amaurosin assidua studia; lux splendida; plethora, et suppressio menstruorum, haemorrhoidum, aliarumque haemorrhagiarum;

cohibitus sudor; usus cosmeticorum; abusus veneris; vermium intestinalium stimulus; nimia seminis jactura, ut et salivae, et lactis; vigiliae; animi pathemata; spasmi; apoplexia; vitia cerebri, hujusque calculi; ossium cranii caries; et ad cerebri basim exostoses; vasa varicosa retinae; vulnera cerebri, nervi frontalis, palpebrarum, bulbi oculi; tumores in orbita; hydatides in membranis nervi optici; dissolutio humoris vitrei, glaucoma; venena metallica, et vegetabilia, ut plumbum, hydrargyrus, hyoscyamus, atropa belladonna; vapores cloacarum, aliique. Narrat Bergius, puerum fuisse tumore palpebrarum correptum, quia se exposuit vaporibus ebullitionis anemones pratensis Linn.

§. 1665. Raro sanatur perfecta amaurosis, praecipue ob obscuritatem et compositionem caussarum, quae etsi perspicuae sint saepe auferri non possunt. Curatio semper est diuturna, difficilis, taedium afferens; et ubi non intelliguntur caussae, empirica est, et infausta. Si amaurosis perfecta sit, et vetus, nullaque luci sensibilitas, insanabilis est. Cum unum oculum occupet,

et infructuosa fuerit quaevis curatio, timendum est, ne etiam alter oculus corripiatur. Pupillae mobilitas, aut immobilitas parum ad statuendum praesagium confert. Etenim interdum devicta fuit amaurosis, etsi pupula dilatata, et immobilis; interdum reluctatur remediis, etsi pupula sit naturalis magnitudinis, et motu non careat. Sunt quaedam amauroses, quae facile curantur, ut illa a plenitudine vasorum, et quae gradatim imminuntur, ut illa ab ebrietate, ab opii usu, et aliorum narcoticorum. Etiam sanabiles sunt ab aucta, vel imminuta sensibilitate oculorum; ab affectione rheumatica, arthritica, venerea; et quae incompleta est. Sunt omnino insanabiles a caussis, quae comprimunt nervos opticos, et retinam, ut tumores cystici in orbita, materia calculosa, calcarea, hydatides in nervi optici membranis. Amaurosis imperfecta aliquando sponte solvitur, praesertim ubi camparent herpeticae eruptiones; fluxus haemorrhoidum, aut menstruorum; dolores rheumatici, vel podagrici articulorum; cursus materiarum ex auribus. Si amaurosis veniat a convulsioni-

bus, ab affectione hysterica, a febribus intermittentibus, horum morborum curatione, consanescunt oeuli.

§. 1666. In cadaveribus amauroticorum saepe nil invenitur. Interdum vario modo laesum cerebrum, retina, nervi optici, eorumque origo; ut retina maculis atris infecta, dura, ossea, ejusque vasa varicosa; nervorum opticorum hydatides, macies, tumores cystici, et tophi in orbita; calculi, et tumores cerebri, et aquosa hujus colluvies; ossium cranii exuberantia, aut caries.

§, 1667. Ne curatio empirica sit, opus est exquirere amaurosis caussas, easque, si fieri potest, auferre, nec non res circumstantes morbi formam constituentes. Caussis vero non intellectis, aliquod cogimur tentare ex illis, quae interdum juverint, quae ratio empirica est. Si caussa evidens sit diathesis hypersthenica, plenitudo, et dilatatio vasorum sanguineorum cerebri, et oculi, indicatio est sanguinem imminuere, ut et ejus impetum ad caput. Itaque conveniunt venae sectiones, et interdum illa venae ju-

gularis, et arteriae temporalis ; hirudines temporibus, collo; cucurbitulae scarificatae dorso, et parti colli posteriori. Si morbus producatur a suppressione fluxus haemorrhoidalis, aut menstruorum, hirudines applicentur vasis haemorrhoidalibus, perinaeo, partibus verendis, internis coxarum, ossi sacro. Praeterea purgantia, clysteres emollientes, pediluvia calida, paucis antiphlogistica methodus. Saepe vero, hisce praemissis, vesicantia juvant. Si contra nascatur amaurosis ab hyposthenica diathesi, a paralysi nervorum opticorum, tum praestant quae corpus firmant, et stimulant, ut infusio valerianae sylvestris, vel simplex, vel cum liquore anodyno minerali Hoff.; arnica montana; cortex peruvianus; ferri praeparationes; sinapis semina ; ammoniae carbonas ; pulsatilla nigricans ; antimonii praeparationes; applicatio vesicantium ; setaceum nuchae ; frictiones in supercilio cum aethere; electricitas, galvanismus ; errhina, ut pulvis asari, et quae augent muci, et lacrymarum secretionem; etiam circa palpebras, partesque oculi proximas fieri possunt frictiones

ex linimento saponaceo cum tinctura cantharidum, vel spiritu camphorato; vapores ammoniaé ad oculum ipsum directi. Si autem amaurosis proficiscatur ab affectione gastrica, primum dentur emetica et purgantia, deinde roboretur ventriculus cortice peruviano, radice valerianae sylvestris, modica exercitatione; carnibus teneris et nutrientibus, modico vino: et ubi sunt vermes, purgantia, et anthelminthica. Amaurosis nervea est illa quae vel a nimia, vel ab imminuta sensibilitate oritur. Si a nimia sensibilitate dum temperamentum est plethoricum, et valens, auxilia sunt sanguinis missiones; modica lux, aëris temperies frigidiuscula; diaeta vegetabilis; pediluvia; clysteres; eccoprotica; digitalis purpurea. Imminuta sanguinis copia, et composito humorum impetu ad caput, laudanum liquidum Sydenhami ad regionem orbitalem illinitur: serius vapores aetherei diriguntur ad oculos. Alii autem adhibent pulsatillam; alii illinunt oculo unguentum mercurii, ut illud compositum ex quarta parte grani mercurii sublimati corrosivi, et duabus dra-

chmis butyri recentis insulsi; alii utuntur unguento ex duobus granis argenti nitrici fusi, et duabus drachmis axungiae porcinae recentis confecto. Haec unguenta bis vel ter de die ad magnitudinem lentis oculo illinuntur. Si vero amaurosis ab imminuta sensibilitate gignatur, temperies aëris sit calidior; lux intensior; victus nutriens; topica sint tonica, et irritantia. Si rheumatica sit, ut cognoscitur a caussis, nempe a vicissitudinibus aëris, a corpore aestuante actioni frigidi aëris exposito; et a symptomatibus, ut sunt dolores artuum in alias partes ruentes, et in ipsum oculi globum, dum pupula clara est, et nutans inter contractionem et dilatationem, iris fere immobilis; oculus facile lacrymans, et lucem modo plus modo minus avertitur; usurpentur quae perspirationem promovent, et cum dolores oculorum mitigantur, antimonialia; applicentur variis partibus vesicantia, praesertim temporibus, et retro aures; et ad supercilium linimenta ex opio. Si oculi dolor omnino evanuerit, sed visus non bene restituatur, alicujus cauterii applicatio non

erit omittenda. Sic si amaurosis sit venerea, expediunt antivenerea, praesertim mercurialia: si sit symptoma febrium intermittentium, antifebrilia, praesertim cortex peruvianus, ejusque praeparata: si apoplexiae pituitosae, cathartica, vesicantia, setacea, cauteria: si originem habeat a retropulsis exanthematibus, vel impetiginibus, balnea aquae acidulae, diuretica, diluentia, sudorifera, edulcorantia, vesicantia, et alia quae vel in hanc, vel in illam valent impetiginem, ut in herpetem sulphur auratum antimonii.

GENUS SEXTUM

Depravatio olfactus

§. 1668. Multifariam olfactus laeditur. Aliquando est supra modum exquisitus, cum nervi membranae olfactoriae sensibiliores sunt, aut nimia est nervei systematis sensibilitas; sed non constituit morbum, quia recte judicatur de odoribus, et bona

est corporis sanitas. Cum vero olfactus ita morbose augetur, ut quivis odor sanitatem offendat, est alterius morbi symptoma, maxime affectionis hystericae: ita dum pervertitur, cum scilicet percipiuntur odores, qui non adsunt, aut diversi ac vere sunt, est symptoma morborum nervei systematis; sed interdum morborum narium, faucium, linguae, in quibus tam corrupti sunt humores qui effunduntur, ut quidquid naribus admovetur putrem odorem habere videatur. Interdum vero diminuitur olfactus, aut aboletur; et haec affectio etiam saepe symptomatica est, sed interdum primaria. Hoc ergo genere non continetur nisi unica species, scilicet imminuta, aut suppressa odores percipiendi facultas, quae vocatur anosmia.

SPECIES UNICA

Anosmia

§. 1669. Anosmia est vox composita ex particula negativa a, et olfactu, qui

graece dicitur ὀσμή. Non solum imminutio, aut privatio olfactus est affectio primaria, symptomatica, secundaria, sed etiam interdum congenita. Species anosmiae, quae recensentur a Sauvages symptomaticae sunt, ut catarrhalis, illa ab ozaena, et a polypo, syphilitica, verminosa, paralytica.

§. 1670. Sedes odoratus est membrana pituitaria, quae anfractuosas parietes fovearum nasalium, sinusque vicinorum ossium obducit. Exhalationes odoriferae, quae ope inspirationis in illas sinuositates feruntur, et humiditate dissolvuntur, quae membranam pituitariam madefacit, impressiones inducunt, quae transmittuntur ad cerebrum, unde oritur odorum perceptio. Haec vero facultas non raro extenuatur, aut amittitur, quod est praecipuum anosmiae symptoma. Huic vero addenda est utilitatum amissio, quae ab olfactu manant, et imminutio imaginationis, quae ut animadvertunt philosophi ab odorum impressionibus potenter excitatur. Cum autem anosmia est symptomatica, cognoscitur a praesentia morborum, qui sunt vel generales, vel locales; acuti,

vel chronici : secundaria, cum antea alii vexarunt morbi, ut capitis dolor diuturnus, ant frequens coryza.

§. 1671. Caussa proxima anosmiae est diminuta, aut amissa nervorum olfactoriorum odores sentiendi vis. Praeparant ad anosmiam habitationes immundae, et foetidae; cadaverum sectiones; purgatio latrinarum, cloacarum, aliorumque locorum foetentium; siquidem nervi pravis odoribus assidue exstimulati, sentiendi odores facultatem amittunt. Hanc vero affectionem excitant, membranae pituitariae mucositas exuberans, aut hujus membranae nimia siccitas; abusus pulvere nicotianae, maxime subtili et exsiccante, qui fibras nerveas arefacit, easque ad sentiendi odorum impressiones impotentes reddunt; prava organi olfactus conformatio. Natura enim ita hoc organon disposuit, ut multum multiplicaretur superficies, ubi locum habet sensatio. Hinc plures sunt ossium anfractus et cavitates, per quas membrana pituitaria distenditur, ut majore extensione exhalationes odoriferae recipiantur. In quibus itaque haec organi amplitudo non a-

dest; aut nervi propter pravam partium structuram comprimuntur, aut sensibilitate carent, distingui non possunt odores. Multi a nativitate orbantur olfactu, quamvis hujus organum bene constructum appareat, siquidem nervi sensibilitate fraudantur.

§. 1672. Sanatur anosmia primaria, si recens, et orta a caussis, quae nullo negotio exiguntur, ut abusus nicotianae; exercitatio quarundam artium; abitatio in locis foetentibus, et immundis. Insanabilis est si vetus, et a caussis inemendabilibus genita, ut sunt plura vitia organi olfactus. Quae est symptoma coryzae facile vincitur: quae producitur a vermibus in sinubus frontis conditis, dissipatur, dummodo hi vermes enecentur: syphilitica non subigitur, si ulcera membranas, et cartilagines narium exedant: quae accedit post toleratos immanes capitis spasmos, usque ad vitae finem permanet.

§. 1673. Si caussa fuerit nimia membranae pituitariae mucositas, juvant vesicantia brachiis; potiones tepidae, leviterque diaphoreticae: si ejusdem membranae ariditas, proluere nares decoctione tepida, et

emollienti. Si vero caussam amoliri non possumus, ut congenitum nervorum olfactoriorum torporem, aut pravam organi olfactus conformationem, quaevis curatio non solum inanis est, sed etiam nocua. Si anosmia sit symptomatica, primarius morbus est curandus: si secundaria, ut illa ab impetiginibus retropulsis, praeter convenientia remedia, illae ad propriam sedem sunt alliciendae.

GENUS SEPTIMUM

Depravatio gustus

§. 1674. Dicitur gustus auctus cum sapida corpora magis esse sapida videntur, ac reapse sunt. Haec affectio est symptoma morborum spasmoticorum, aut tumorum, aut inflammationis linguae. Dicitur autem depravatus, cum sensitur in sapidis corporibus diversus sapor ac revera est, aut in insipidis corporibus sapor, qui non est. Haec etiam affectio est sym-

ptoma cariei dentium; aut morborum gingivarum, et linguae; aut clorosis; aut spasmoticorum morborum. Imminutio vero, et amissio facultatis sentiendi sapores est saepe primaria, angheustia nuncupata, quam modo paucis exequar.

SPECIES UNICA

Angheustia

§. 1675. Angheustia est vox conflata a particula negativa a, et gustu, qui graece dicitur γεῦσις. Est perfecta vel imperfecta; primaria, aut symptomatica. Perfecta est suppressio absoluta gustus; imperfecta, cum tam imminuitur gustus, ut parum distinguantur sapores. Interdum est primaria, saepius symptomatica, praesertim febrium, et nervosarum aegritudinum.

§. 1676. Praecipuum gustus organum est lingua, cujus papillae efformantur nervis, qui ad linguam ipsam feruntur, et saporum impressiones recipiunt. Saliva, aliique humores, qui a parietibus oris et a

lingua depluunt, papillas madefaciunt, secus arescerent, et ad suum absolvendum munus ineptae fierent. Interdum vero actione caussarum morbosarum laeduntur papillae, lingua, et nervi, unde consequitur angheustia. Quoniam gustus organum magnam cum stomacho habet sympatheiam, si illud non amplius recipit impressiones alimentorum, hic nec ad sumenda et concoquenda alimenta, nec ad quaedam fugienda disponitur. Quocirca ob gustus defectum deglutiri possunt substantiae non solum injucundae, sed etiam nocuae.

§. 1677. Caussa proxima angheustiae est impedita corporum sapidorum impressio. Praedisponentes caussae sunt provecta aetas, quaedam organi gustus, et nervorum lingualium constitutio, unde amittitur sensibilitas, quae secundum naturae ordinem longe major est illa tubi digerentis propria. Caussae vero excitantes est nimia crassities, et siccitas periglottidis; laesa linguae, papillarumque integritas; abusus vini, spirituum, et substantiarum aromaticarum, unde obtunditur, et amittitur gustatoria sen-

sibilitas. Plures sunt morbi qui angheustiam generant, aut quia linguam siccissimam reddunt; aut quia hanc crusta sordibusque tegunt, dum salivam aliosque humores inspissant, ut febres mali moris, et ardentes; aut quia gustus organum sensibilitate denudant, ut apoplexia et paralysis, vel aliud vitium cerebri et nervorum qui feruntur ad linguam.

§. 1678. Primaria et imperfecta angheustia, a caussis orta facile amovendis, ut abusus vini et spirituum, sanari quidem potest; contra si perfecta, et nulla organi gustus sensibilitas, ab hujus morbosis dispositionibus, aut vitiosa structura dependeat. Symptomatica etiam modo sanabilis est, ut illa febrium et morborum acutorum; modo curatu difficilis, aut insanabilis, ut quae linguae paralysin, et apoplexiam comitatur. Itaque tota curatio in repellendis, si fieri potest, caussis consistit, quae si nullo modo exigi possint, quodvis remedium infructuosum est.

GENUS OCTAVUM

Depravatio tactus

§. 1679. Cutis est tactus organum, sed quae partem internam manuum contegit, praecipuae superficiem internam extremitatum digitorum, est speciatim ad tactum constituta, utpote majore praedita sensibilitate. Sedet ergo tactus in extensione nervosa, quae est in cutis superficie, cujus sensibilitas ab epidermide eam operiente temperatur. Tactus ut alii sensus potest augeri, perverti, imminui, aboleri. Dicitur tactus auctus cum corpora plus quam decet validam afferunt impressionem: perversus, cum diversa est impressio, ac esse deberet: imminutus, cum non satis impressiones percipiuntur: deletus, cum corpora nullam edunt impressionem. Tactus augetur ob nimiam sensibilitatem, et subtiliorem epidermidem, quin existat morbus. Sed si per aliquem morbum amplior fiat, est hujus symptoma, ut inflammationum, exanthema-

tum, impetiginum, ulcerum recentium, vulnerum, affectionum nervosarum, praesertim hystericae, aut hypochondriacae. Imminuitur autem tactus, cum parum sensile est nerveum systema, ut evenit in robustis temperamentis, aut cum epidermis non est subtilis; sed haec tactus imminutio non est morbus, et raro aliorum morborum sistit symptoma. Tactus vero perversus, aut erroneus, est semper alterius morbi effectus, ut affectionis hystericae et hypochondriacae. Deletus tactus est interdum a quibusdam morbosis caussis productus, quin alter extet morbus. De hoc igitur aliquid dicendum est.

SPECIES UNICA

Anaesthesia

§. 1680. Anaesthesia est amissio tactus, dum motus, appetentia ciborum, nutritio, facultates intellectuales manent. Conflatur haec vox a particula negativa a, et

sensu, qui graece dicitur αἰσθησις. Non est igitur anaesthesia confundenda cum affectibus soporosis, quia deest sopor; nec cum asphyxia, quod in recens natis posset evenire, qui interdum immobiles sunt, et sensu carentes. Sed differentia deprehenditur a colore rubro pueruli, ipsiusque calore; pulsus, arteriarumque pulsatione. Anaesthesia est universalis vel partialis; primaria aut symptomatica. Primaria cognoscitur ab amissione tactus vel generali, vel partiali, et quamvis maneant motus musculorum, appetentia ciborum, horum digestio, corporis nutritio, nihilominus hujusmodi functiones non vigent, ut in statu sano. Symptomatica distinguitur ab aliquo spectabili morbo. Si ex gr. sit symptoma spinae bifidae, recens nati nec vident, nec audiunt, nec tactu gaudent; inertes sunt ad motum; lac sugunt: faeces deponunt: praeter haec signa spinae bifidae evidentia sunt. Sic dicendum, si sit symptoma gangraenae, paralysis, vesaniae.

§. 1681. Caussa proxima anaesthesiae est nervorum tactui inservientium profliga-

ta sensibilitas. Ad hanc affectionem interdum corpus comparat plethoricum temperamentum, ut confirmat historia adolescentis a Sauvages relata, qui absque praevio affectu mutus factus est, et ubique corporis tactu orbatus, ut acus puncturas non sentiret; sed sectis raninis, et sudore concito, sanitatem recuperavit. Cum vero remanserit aliquis stupor, datus fuit semiscrupulus cinnabaris, et potus sudoriferus, et hinc stupor recessit. Invenitur etiam haec dispositio in rigiditate papillarum nervearum; et in integumentorum crassitie. Excitantes caussae sunt ingens plethora; foetus pathemata, sub laboribus partus; actio assidua, et vehemens frigoris, unde nerveae papillae stupent; compressiones mechanicae, sicut observationes confirmant. Inquit Joseph Franch tom. 4. pag. 286. = Vir ebrius cum per integrum noctis curriculum brachio suo superincumberet, superstite motu, tactum ibi omnino amissit. =

§. 1682. Anaesthesia est sanabilis, si caussae eripi facile possint, ut plethora est; contra insanabilis, ubi acerrimum frigus

tactus nervos paralysi affecerit, aut extat inemendabile integumentorum vitium. Sic ubi est symptomatica interdum sanatur, ut illa a melancholia, diathesi rheumatica, retropulsione alicujus impetiginis; interdum non sanatur, ut illa a paralysi, gangraena, spina bifida.

§. 1683. Curanda est anaesthesia a plethora, sanguinis missionibus generalibus: a pathematibus laboriosi partus, quae sustinuit foetus, levibus et aptis simulis hic est excitandus, ut expergefiant sensus, praesertim ille tactus. Idcirco juvare possunt frigidae aspersiones vel aquae vel vini; res aromaticae et leviter exstimulantes, quae ori, naribus, et recto intestino admoventur. Si sit symptoma affectionis rheumaticae acutae, prius adhibenda est antiphlogistica methodus; deinde diaphoretica et vesicantia: sed si affectio rheumatica chronica sit, utiles sunt frictiones, vesicantia, balnea calida, decocta dulcificantia, diaphoretica, electricitas. Si oriatur a repercussa impetigine, haec revocanda, et corrigenda balneis calidis, diaphoreticis, ma-

xime antimonialibus; edulcorantibus; vesicantibus. Ita procedendum est, si ab aliis morbis proficiscatur.

GENUS NONUM

Depravatio vocis

§. 1684. Vox est sonus qui venit a pulmonibus, et per glottidem exit. Loquela est ipsa vox lingua, labiis, dentibus, uvula, et ope cavitatis narium et oris articulata. Ut non contingant depravationes vocis et loquelae, utriusque organa esse debent optime constituta. Glottis est rima laryngis, quae constat cartilaginibus cricoidea, duabus arytaenoideis, thyroidea, et epiglottide. Hae cartilagines uniuntur et articulantur membranarum et musculorum ope. Cricoidea inferius nectitur cum primis tracheae anulis; ad latera cum duobus processibus inferioribus thyroideae; posterius et superius cum arytaenoideis, quarum basis a cricoideae prominentiis excipitur, et

hinc hae cartilagines non solum anterius et posterius inclinantur, sed etiam supra cricoideam rotantur. Cartilagines arytaenoideae ligantur etiam cum epiglottide, thyroidea, et inter se. Thyroidea autem non solum dictis cartilaginibus, sed etiam ossi hyoideo, aliisque partibus circumpositis. Interius eminentiae, quae dicitur pomum Adami, respondet fovea oblonga membranae intimae connexa, quae transversim ab anterioribus traducitur ad posteriora, et in arytaenoideis habet finem, formans quatuor ligamenta, duo utrinque. Horum duo superiora sunt molliora et paullo longiora; duo alia inferiora sunt robustiora et breviora. Inter ligamenta utriusque lateris est sinus fere parabolicus. Hi vero sinus dicuntur ventriculi laryngis. Ab hisce ligamentis componitur glottis, triangulo isosceli similis, cujus verticalis angulus est tyroideae fovea. Glottis diducitur et arctatur, et ligamenta distenduntur et laxantur per parvorum musculorum actionem. Diducunt glottidem crico-arytaenoidei postici, et laterales; arctant arytaenoidei obliqui, et arytaenoideus trans-

versus. Omnium validissimus est musculus thyreo-arytaenoideus, qui ex duplici utrinque fasciculo constat, crassiore uno, tenuiore altero. Ille simpliciter dicitur thyreo-arytaenoideus; hic vero thyreo-arytaenoideus minor. Dum contrahitur primus, pars arytaenoidearum superior antrorsum fertur, inferior retrorsum, unde remittuntur ligamenta glottidis superiora, inferiora intenduntur; dum vero contrahitur alter, basis arytaenoidearum antrorsum trahitur, apex retrorsum pellitur, unde laxantur ligamenta inferiora, superiora tenduntur. Alii autem sunt musculi ad cartilagines movendas. Praeter linguae et ossis hyoidei musculos, hyothyroidei, cricothyroidei, et sternothyroidei cartilaginem scutiformem, atque anularem aut sursum et antrorsum, aut deorsum movent, proindeque arytaenoideas. Musculi qui producuntur ex loco immobili, et in scutiformem mobilem figuntur, hanc deorsum trahunt: musculi qui utroque extremo mobili annectuntur modo attollunt, modo deprimunt cartilagines, et ligamenta videntur magis tendere. In ventriculis la-

ryngis plures sunt mucosi fontes, qui faciunt, ut tunica interna illius maxime sensibilis servetur, et non arescat, et ligamenta maneant flexibilia: adest glandula cartilaginibus arytaenoideis mucosis folliculis composita; in larynge vero et aspera arteria tenuissimus humor miscetur muco. Si hujusmodi organa caussae morbosae lacessant, vox et loquela offenditur; sed modo de vocis vitiis agendum est.

SPECIES PRIMA

Aphonia.

§. 1685. Defectus vocis appellatur aphonia; vox composita ex particula negativa a, et φωνὴ vox. Est primaria symptomatica, secundaria, traumatica. Primaria nascitur a quibusdam morbosis caussis; et quamvis in hominibus contingat alioquin sanis, semper aliquem defectum in organis vocalibus adesse demonstrat. Interdum est symptoma morborum sive acutorum, sive chronicorum,

Secundaria ut plurimum retrocessioni materiei morbosae, aut metastasi succedit. Traumatica oritur ab externis injuriis. Aphonia primaria interdum corripit, ut diximus, homines sanos, sed aliquando cum hac affectione conjungitur stupiditas, dysphagia, tumor radicis linguae, difficilis respiratio; rubor et livor faciei; pulsus lentus. Aphonia symptomatica conjungitur cum symptomatibus aliorum morborum. In aphonia ex. gr. hysterica adest spasmodica laryngis constrictio, difficilis respiratio; sensationes caloris et frigoris; pulsus contractus, irregularis.

§. 1686. Caussa proxima est ipsa deficientia vocis. Non raro in familiis ad hanc affectionem deprehenditur haereditaria dispositio: et in quibusdam hominibus peculiaris organorum vocalium structura. Aphonia excitatur saepe a debili respiratione; compressione et ligatura nervorum recurrentium; impedito motu musculorum laryngis; plethora; suppressis consuetis sanguinis exinanitionibus; abusu vini, et spirituum; animi affectionibus; immodica venere; hyoscyamo, stramonio, aliisque ve-

nenis. Aphonia symptomatica frequenter observatur in phthisi pulmonali; aneurysmate cordis et aortae; febribus quibusdam perniciosis. Traumatica nascitur a laesionibus faciei, et cerebri; amplis pulmonum vulneribus, et nervorum recurrentium sectione.

§. 1687. Non est sananda aphonia quae a prava organorum vocalium structura producitur: eximi potest quae manat a substantiis veneficis, dummodo hae non interficiant; aut a cohibitis sanguinis jacturis. Quae est symptoma aneurysmatis cordis et aortae, ut hoc vitium, quoad vivitur, permanet; febrium intermittentium perniciosarum, cortice peruviano vincitur, dummodo hae febres non occidant; affectionum gastricarum, emeticis vel purgantibus superatur. Secundaria saepe fugit, si materiae morbosae alibi vocentur; sed interdum imminentem suffocationem indicat, ut in retrocessione podagrae. Traumatica sanatur, si caussae fuerint leves, contra si graves, et ipsa non sit recens.

§. 1688. Varia est aphoniae curatio ut variae ejus caussae sunt. Curatur aphonia, quae oritur a plethora, et ab aliquo retento sanguinis fluxu, venae sectionibus, tenui diaeta, eccoproticis, pediluviis: quae a substantiis, veneficis, primum emeticis, deinde pharmacis, quae illarum obtundunt vim: quae ab animi pathematibus, quiete. Symptomatica, et secundaria postulant remedia naturae primarii morbi congruentia: traumatica chirurgica auxilia.

SPECIES SECUNDA

Paraphonia:

§. 1689. Paraphonia est depravata, insuavis, ingrata vox, ut ipsum nomen denotat. Est primaria, vel symptomatica. Illa nascitur a perverso musculorum laryngis motu; a dissonantibus glottidis ligamentis; a narium, oris, uvulae, tonsillarum, asperae arteriae, pulmonum, oesophagi vitiis. Symptomatica ortum habet a plurimis

morbis, maxime a lue venerea. Primaria dividitur a Nosologis in plures species, ut sunt illa puberum; nasalis; gutturalis; stertens. Symptomatica vero distinguitur nomine primarii morbi, ut paraphonia catarrhalis, ulcerosa, polyposa; aut ipsi datur nomen a quibusdam notis, ut a sibilo vocatur paraphonia sibilans, quae frequenter in asthmate, et angina occurrit.

§. 1690. Paraphonia puberum non est ut morbus habenda, utpote est illa vocis alteratio, quae circa decimum quartum aetatis annum contingit; cum scilicet incipit separatio spermatis; lanugo obtegit mentum evolvitur glottis: haec foenomena non comparent ubi facta castratio, quia vox remanet ut erat ante castrationem. Cum autem absolute separatum sit semen, et glottis perfecte evoluta, et lanugo in barbam conversa, tum virilis, suavis, gravisque evadit vox. In foeminis mutatio vocis non contingit, quia illius tonus idem in adolescentia remanet, ac erat in pueritia; sed solum majorem vigorem acquirit.

§. 1691. Paraphonia nasalis, latine nasitas, est illa injucunda vox, quae vulgo a naribus edi creditur, dum ut plurimum a gutture et ab ore talis emittitur. Vox enim est jucunda, si aër per nares posticas, sinus frontales, sphaenoidales, et antrum Hygmori repercussus sonum armonicum cum glottide producat; injucunda si huic repercussioni aëris est aliquod impedimentum, quod si auferatur, removetur nasitas.

§. 1692. Paraphonia gutturalis est vox insuavis, quae ab aliquo gutturis vitio, faucium, palati, ut a defectu veli palatini, ejusque erosione, ut evenit in lue venerea, et ab aliquo palati foramine. Hae caussae inspectione faucium et oris cognoscuntur; et ineluctabiles sunt. Solum palati foramen argentea lamina occludi potest, dummodo rite applicetur.

§. 1693. Paraphonia stertens est sonus raucus, molestus, quem plures dormientes, apoplectici, asthmatici, et moribundi faciunt in inspirando, et expirando aëre. Hic strepitus graece dicitur ῥογχος latine stertor. Curari debet secundum caussas, et mor-

bos, a quibus nasci potest. Sic dicendum de aliis paraphoniis, quae omnino symptomaticae sunt.

GENUS UNDECIMUM

Depravatio loquelae

§. 1694. Quamvis depravatio loquelae a pluribus caussis oriri potest, ut plurimum tamen a vitiis instrumentorum loquelae et vocis originem habet, sicut innuimus. Duplici modo vitiatur loquela, aut sermo proferri nequit, etiam si homines vocis sonos emittaut; aut impossibile est syllabam aut litteram exprimere. In hoc igitur genere duae capiuntur species, scilicet alalia, et psellismus.

SPECIES PRIMA

Alalia

§. 1695. Alalia est mutitas, sicut vox ipsa ostendit, composita ex particula negativa a, et loquela, graece λαλία. Dicitur etiam ἀναυδία, seu verba articulandi impotentia. Plures sunt qui vocis sonos emittunt, sed verba formare non possunt: alii sunt ab ortu surdi, stupidi, hebetes, melancholici, percipiendi aliquid impotentes; memoria, imaginatione, judicio orbati, unde nutrices in proferendis verbis ab ipsa pueritia imitari nequeunt. Mutitas fere semper symptomatica est, si illa excipiatur, quae ab actione substantiarum veneficarum producitur, et traumatica. Muti voce et gestu exprimunt ideas, quia loqui non possunt. Surdi et muti sunt ingenio praestantes, aliisque sensibus exquisitissimis gaudent. Hinc loqui docentur. Primus, qui ad mutos loquelam docendos se applicuit, fuit Amman Amstelodami; postea ut notum est alii plu-

res. Loqui docetur per mimesin, graphen, et glossan. Mimesi omne objectum gestu exprimitur; graphe etiam notiones comparantur, praecipue si glossa accedat. Sed quamvis surdi, et muti ad loquendum perveniant, eorum loquela semper molesta est et gutturalis.

§. 1696. Frequens est mutitas, quae nascitur a vitio linguae, quae est primarium loquelae instrumentum, ut ab hujus paralysi, quae cognoscitur, cum muti linguam movere non possunt, et aegre deglutiunt. Haec linguae paralysis saepe sequitur apoplexiam, et hemiplegiam. Est difficilis curationis, quae pro variis caussis dissimilis est. Venit etiam mutitas, a brevitate et longitudine frenuli, in quibus casibus curatio in illius sectione consistit. Interdum a morbis proficiscitur, qui non solum invadunt linguam, sed etiam alias partes, ut est epiglottidis durities, ossis hyoidei deformatio.

SPECIES SECUNDA

Psellismus

§. 1697. Psellismus est difficultas, aut impossibilitas aliquas syllabas, aut litteras pronuntiandi. Hac vitium dicitur etiam mogilalia, a μόγις aegre, et λαλία, loquela. Nascitur a vitiis loquelae, et vocis; a violentiis cerebro illatis; a vitiosa educatione; a prava consuetudine; a venere ardenter cupita; ab evidenti affectatione. Plures hujus exstant varietates ut psellismus ischnophonia; rottacismus; lambdacismus; traulotes; balbuties; mogilalia; jotacismus; etc. Secundum Nosologos hujusmodi varietates totidem sunt psellismi species.

§. 1698. Vocatur; spsellismus ischnophonia, ἰσχνοφωνία, latine haesitatio, dum homines in pronuntiandis quibusdam litteris haereant; quod evenit dum gutturales litterae occurrunt, ad quas exprimendas illi videntur singultire: quamvis ischnophonia vocis tenuitatem significet, ut apud Hippocr.

l. Epidem. adnotante Galeno in Comm. Igitur hoc loquelae vitio affecti in proferendis verbis aliquam syllabam repetere videntur, dum aliquo modo vultum distorquent. Ideo si velint cavillationem exprimere, vultus distorsionibus cacavillationem dicunt. Aër enim qui debet exire, a velo palatino, uvula, et linguae basi retineri videtur. Difficiliter hujusmodi vitium superatur; licet nisu perorationis, cantus, sermonis interdum imminuitur, et submittitur, sicut pluries observatum est.

§. 1699. Psellismus rottacismus est prava pronuntiatio litterae R, praecipue aliqua asperitate. In praesens hoc loquelae vitium non videtur indecorum, et hinc hoc multi affectant, ut quandam sibi in loquendo gratiam concilient. Ubi vere exstat, arguitur linguae crassitudo et tarditas; sed caussa ut plurimum est in apice linguae, qui versus basim dentium maxillae inferioris affigitur, dum versus palatum debet porrigi, et sursum flecti linguae basis, ut aër versus nares reprimatur. Nasci vero potest ex vitiis organorum loquelae, ut brevitate,

crassitudine, flacciditate, debilitate linguae, et prava conformatione palati. Ut expeditum est hoc subjicere vitium si a consuetudine et ab affectatione oriatur; sic difficile, si ab organorum loquelae vitiis, maxime haereditariis proveniat.

§. 1700. Dicitur psellismus lambdacismus vitium linguae balborum et blaesorum proprium, quo geminatur littera R., aut hujus litterae loco pronuntiatur L. Male etiam exprimitur littera L., quod saepe evenit ob laxitatem linguae. Propter stricturam fraenuli male proferuntur litterae R et L., unde necesse est illud secandum. Hae enim litterae liquidae dicuntur, quia liquide exprimuntur; quod fieri non potest, ubi lingua est ponderosa, flaccida, aut impedita ad se antrorsum et sursum dirigendam. Interdum etiam musculi styloglossi debilitate afficiuntur, et tum ad hoc vitium contribuunt.

§. 1701. Psellismus traulotes, τραυλότης, latine blaesitas, est loquelae vitium, quo quaedam consonantes durae molliter proferuntur. Blaesitas etiam non semper realis est, sed plures volunt comparere blaesi,

quia credunt, eorum sermoni majorem gratiam conferre. Apud pueros frequens est blaesitas, quae progressu aetatis effugit. Propter dentium defectum omittuntur aut leniuntur litterae dentales, ut D. T. Ob linguam nimis latam non rite exprimitur litera K, et hujus loco profertur littera T. Per hanc rationem sublevari prompte non potest linguae apex, et hinc sequitur defectus litterae R.

§. 1702. Psellismus balbuties est difficultas pronuntiandi verba litteris labialibus composita. Hinc hae litterae, ut B. M. P. repetuntur, aut ponuntur ubi esse non debent. Ebrii propter tremorem labiorum et linguae labialibus litteris abundant. Labeones si non satis aperiunt os, balbutiunt. Infantes ob dentium defectum, fere tantum eorum labiis consonantes exprimunt.

§. 1703. Psellismus mogilalia est impotentia litteras labiales proferendi, ut observandum est in illis qui alterutro labio carent. Labro leporino laborantes vix possunt efferre litteras B. M. P., maxime si dentes anteriores desiderentur.

§. 1704. Psellismus jotacismus est difficultas litteras gutturales enuntiandi. Frequens est hoc vitium ubi palatum perfoditur, quod aliquatenus emendatur, argenteae laminae applicatione.

GENUS UNDECIMUM

Irregularitas motus voluntarii musculorum.

§. 1705. Musculi voluntatis imperio inservientes saepe praeter naturae ordinem contrahuntur, relaxantur, moventur, unde plures nascuntur morbi, qui praeter irregularitatem motus voluntarii, aliis specificis characteribus distinguuntur. Etenim interdum partes corporis aut sensu, aut motu, aut utroque orbantur; aut sensus interni et externi deperduntur, eodemque tempore contrahuntur, et relaxantur musculi; interdum invadit spasmotica rigiditas, et immobilitas musculorum, interpolatis motibus convulsivis, plerumque sensibus omnibus remanentibus; interdum corripit rapi-

da membrorum oscillatio, quae brevissimo temporis intervallo elevantur et deprimuntur, aut in partes oppositas diriguntur; interdum urgent contractiones convulsivae, gesticulationibus et contorsionibus scurrarum similes. Nos itaque de praecipuis hisce morbis sermonem habebimus.

SPECIES PRIMA

Paralysis.

§. 1706. Paralysis, παράλυσις a παραλύω resolvo, est abolitio sensus, aut motus, aut utriusque in variis corporis partibus. Hinc vocata etiam fuit dissolutio, collapsus. Dividitur in primariam, symptomáticam, secundariam, traumaticam; simplicem, complicatam, completam et incompletam. Dicitur completa, si sensus et motus amittitur; incompleta si aut sensus, aut motus tantum deperditur. Haec est frequens a musculorum vitio nata, et etiam dicitur spuria. Saepe enim musculi ab-

secedunt a statu naturali aut nervorum culpa, aut defectu irritabilitatis, integritatis, et roburis fibrarum. Praeter expositam divisionem paralysis secundum gradum, et sedem distribuitur. Cum itaque non abolitio, sed solum sensus et motus imminutio observabilis est, vocatur paresis; quamvis alii hoc nomine artuum inferiorum resolutionem indicant; alii atoniam intestinorum post narcoticorum usum; alii cum Aretaeo vesicae urinariae resolutionem, cum scilicet non amplius potest retineri urina. Cum autem in uno corporis latere amittitur sensus et motus dicitur hemiplegia: cum in singulis partibus sub capite positis, paraplegia, integra manente circulatione, et respiratione; licet plures hoc nomine paralysin medietatis corporis transverse sumptae intelligunt. Semper vero paraplegia habuit varias significationes, quia secundum Hippocratem indicat paralysin alicujus partis, quae a praegressa apoplexia, et epilepsia proveniat; secundum Galenum solam paralysin linguae.

§. 1707. Hujus morbi symptomata generalia, et particularia sunt. Saepe vero non

desunt prodroma, ut capitis gravitas, vertigines, memoriae imminutio ; variarum partium motus difficilis, pondus, torpor, formicationis sensus, frigus, tremor, anaesthesia. Sed cum aggreditur morbus sine prodromis, improviso sensus et motus partium amittitur. Cum non desunt prodroma, accedente morbo, augetur stupor, torpor, formicationis sensus, tremor; corripiunt convulsiones; deficiunt motus et sensus; partes tandem paralyticae fiunt molles, atrophicae; oedematosae; pulsus rari, molles; interdum frequentes, inaequales; cutis plerumque evadit arida, pallida; difficiliter digeruntur alimenta; progressu temporis non solum affectae partes consumuntur, sed breviores fiunt, et incurvantur; calor animalis est persaepe naturali minor, interdum major cum aucto arteriarum motu, venarumque turgore. Haec sunt generalia symptomata. Diversa autem sunt particularia pro variis partibus, quas obsidet morbus. In hemiplegia laedi solent visus, et auditus; in unum latus oculus et os torquetur; minuitur memoria, et judicium; impeditur

loquela; risus et fletus alternantur. Haec vero symptomata contingunt, cum afficitur caput; secus resolvitur pars dextera, aut sinistra corporis pars, et ut plurimum magis brachium, quam inferior extremitas. In hemiplegiaco latere observantur motus convulsivi, involuntarii, rigiditas; interdum convulsiones agitant oppositum latus; sphincteres vesicae urinariae modo paralytici, modo immunes; in affecto latere lente crescunt capilli, ungues, et pulsus saepe debilior, interdum irregularis; et in hoc etiam deprehenditur ephidrosis, atrophia, oedema. Aliquando paralysis circumscribitur in facie; saepe in uno latere; saepissime in dextero. Tum facies trahitur versus latus sanum, et hinc risus sardonicus; extenuatur memoria, et judicium; loquela indistincta; impotentia corrugandi frontem, supercilia, et claudendi et aperiendi palpebras, et elevandi superius labium, angulum oris, nasi alam, et dilatandi nares, et impediendi effusionem salivae et rejectionem ciborum; raro inhibetur masticatio; anaesthesia. In paralysi extremitatum superiorum aut

omnes, aut aliqui musculi manent paralytici, ideoque peragi non possunt humeri, antibrachii, carpi, digitorum motus; laxantur etiam ligamenta, unde spontaneae luxationes sequuntur. Cum autem paralysis extremitates inferiores aggreditur, et perfecta est, non solum omnino sensus motusque deficit, sed progressu temporis flaccescunt musculi, et absumuntur. Sed saepe hujusmodi paralysis imperfecta est, et tum ut plurimum non bene expediuntur motus harum extremitatum. Cum paralyses obsident internas partes non adeo facile cognoscuntur, quamvis caussarum et symptomatum indago, et laesae illarum partium functiones eas revelent.

§. 1708. Statuit Boerhaave caussam proximam paralysis impeditum fluxum liquidi nervei a cerebro ad musculum paralyticum, aut fluxum liquidi arteriosi per eundem musculum. Revera si impediatur nervorum et vasorum functio necessario sequitur paralysis. Ubi vero hic morbus primarius est ab ipso cerebro habet originem, ab amissa scilicet nervorum cerebralium potestate. Ad hunc

disponit aetas infantilis, vel senilis; sexus masculinus; temperamentum sanguineum, cholericum ; jus haereditarium; obesitas; nervei systematis debilitas. Eum autem excitant plethora ; suppressio cursuum haemorrhoidalis, menstrualis, lactis ; vita mollis et iners, assidua studia ; animi pathemata, ut tristitia, ira, terror; exercitatio quarundam artium ; exhalationes metallorum, et plumbi, mercurii, arsenici ; fumus carbonum. Si vero paralysis symptomatica sit et secundaria, oritur a pluribus morbis sive acutis, sive chronicis, ut a diathesi scrophulosa, rheumatica, venerea; vitiis viscerum abdominalium ; tumoribus cerebri , et effusionibus in hoc viscere variae indolis; distorsionibus spinae ; ligamentorum crassitudine, quae vertebras inter se ligant; spinae curvamine propter hujus mutatam positionem; vertebrarum carie; tumoribus purulentis pulmonum; vermibus; dysenteria; apoplexia ; colica pictonum ; retrocessione podagrae, impetiginum; et aliqua metastasi. Paralysis autem traumatica inducitur a vulneribus, et laesionibus nervorum, cerebri,

et medullae spinalis. Ab hisce caussis intelligitur; esse caussam paralysis, quidquid impedit nervorum actionem a cerebro ad organa motus, et efficit, ut principium vitae aut non distribuatur, aut prorsus exhauriatur. Cum vero paralysis est imperfecta nascitur a laxitate fibrarum muscularium, aut ab earum imminuta irritabilitate. Hinc ad hanc paralysin proclives sunt in mastrupationis vitium, et effraenatam venerem projecti, et cacochymici, scorbutici, intemperantes.

§. 1709. Quaevis paralysis non gravis vix sanari potest; gravior ut plurimum non potest. In sensili aetate difficile debellantur paralyses; in infantili sperandum pubertatis tempore. Quo magis caussa urget circa oblongatam, et cervicalem medullam eo magis paralysis discrimine plena est. Minus quidem periculosa, quae nascitur a suppressa nervorum vi propter sanguinis quantitatem, et impetum. Aestate et vere facilius, quam autumno, et hyeme edomatur. Ebrii paralysi capti, memoria et ingenio exuuntur. Paralysis ab ictibus saepe lethalis est; ut a carie vertebrarum; aut a caussis

substantiam cerebri, medullae oblongatae, spinalis, et nervorum laedentibus. Paralysis ex disrupto aut inciso nervo non admittit curationem. Scorbutica sanatur, si submittitur scorbutus; sic venerea, ni inveterata, et gravissimis symptomatis stipata. Generatim cum caussae non sint tam graves, paralysis vinci potest. Inquit Van-Swieten tom. III. §. 1064 = Facile autem patet, tunc sperari posse curationem paralysis, ubi encephali, medullae oblongatae, spinalis, nervorum, et fabricae musculosae integritas mansit, ac morbosa caussa impediverit tantum liberam determinationem caussae motus muscularis ab encephalo per nervos ad musculos. = Cum vero paralysis corripit aliquod nobilissimum organum, ut cerebrum, cor, pulmones, lethalis est. Quae sinistrum latus periculosior illa quae dexterum latus invadit, et saepe intra anni spatium vehementius assultat. Paralysis artuum inferiorum expeditius illa artuum superiorum resolvitur. Paraplegia crebro in apoplexiam abit, quia est gradus paralysis apoplexiae proprior; et ubi forte subigitur, in

organis motuum et sensuum tam internorum, quam externorum graves perturbationes relinquit; unde aeger fere hebes, pusillanimis, vertiginosus, obliviosus, puerascens. Hemiplegia timenda est, maxime si eam apoplexia genuit, quia in hanc revertitur. Denique signa aut laeta sunt, aut tristia. Spectant ad prima memoriae integritas; affectae partis calor, dolor, formicatio; febris modica horrore incipiens; motus convulsivus; sudor universalis; diarrhoea; restitutio cohibitorum fluxuum. Etenim per modicam febrem mobilis redditur, et aliqua stagnans materies expellitur, et non raro haec in aliquo corporis loco deponitur. Violentia tremoris facit, ut immobile mobile reddatur. Sunt sudores; diarrhoeae utiles, quia morbosas materias ejiciunt. Sic dum paralaysis est recens, salivae largiter secreta et excreta utilis est. Etiam urina crassa cum symptomatum levamine bona est. Oedema in morbi declinatione propitium, si motus amissi affectarum partium redeant; si excrementa non amplius invite egerantur; si extenuata membra iterum nutrian-

tur, vigeant, et ad pristinam formam redeant; si pulsus fiant aequales, et validiores. Contra ad tristia pertinent inutilis sudor; convulsiones in sano latere; frigus laborantis partis, et hujus oedma, flacciditas, atrophia, sensus omnino deletus; sphincteres resolutio, unde faeces, lotium praeter voluntatem redduntur; complicatio cum aliis morbis; gangraena et sphacelus afflictae partis, qui interdum ante mortem corripit. Signum vero imminentis mortis est tumor chronicus membrorum paralyticorum, qui sua sponte subsideat. Interdum devicta paralysi, partes non possunt extendi, quia articulorum ligamenta, et musculi flexores per longum tempus non producti, breviores facti sunt, et obriguere; et ideo hanc tantam contractionem vis musculorum extensorum superare nequit. Aliquando in aliqua extremitate animadvertitur torpor et stupiditas; quae sunt saepe apoplexiae prodroma signa.

§. 1710. Sectione cadaverum inveniuntur humores serosi, vel sanguinei diffusi in illam partem cerebri sedi morbi oppo-

sitam; mutatio aliqua in substantia cerebri ipsius, ut induratio; striati corporis degeneratio; pus, quod interdum sacco continetur; tumor ad pontem Varolii; steatoma; non raro vertebrarum caries; ossificatio cartilaginum intervertebralium; sanguis, serum, ichor in vertebrarum specu diffusus; aliqua spinalis medullae mutatio, nempe induratio, consumptio, exiccatio.

§. 1711. Generatim si paralysis generetur ab hypersthenica diathesi, et improviso in robustis juvenibus contingat, et perspicue corripiat caput, curanda est sanguinis missionibus ex brachiis, pedibus, et jugulari vena, et arteria temporali; cucurbitulis cruentis, et hirudinibus retro aures, et vasis haemorrhoidalibus applicitis; deinde purgationibus; rigidoque diaetae regimine; contra si a diathesi hyposthenica, aggrediaturque senes non conveniunt sanguinis missiones, nec purgationes, sed tantum aliquod relaxans, si multa sit alvi durities. Haec paralysis stimulantia tam interius, quam exterius admittit, ut arnica montana, castoreum, aether, aliqua vini dosis,

diaeta nutriens: epispastica, rubefacientia, frictiones vel manu, vel panno laneo, vel strigili, vel tinctura cantharidum factae; fomenta calida; urticatio; electricitas, galvanismus; balnea calida vel simplicia, vel sulphurea, quae vero nunquam plethoricis conferunt, sed solum debilibus; deambulatio, devitato frigore, et humiditate. Ubi autem appetitus deest, et alimentorum coctiones lente et aegre fiunt, adhibeantur stomachica, et tonica. Quoniam in curatione paralysis interest respicere sedem, si encephalica sit, et ab hypersthenica diathesi nata, fiant sanguinis missiones in parte sana, et applicentur hirudines vasis haemorrhoidalibus, et cucurbitulae cruentae; dentur purgantia levia, sed si haec non sufficiant, fortiora, ut jalapa, colocynthis diacrydium cydoniatum vel sulphuratum. Progrediente autem morbo, balneum tepidum aquae communis, vel salinae; vesicans nuchae, vel setaceum. Sed ubi pulsus fit mollis, facies pallida, et imminuuntur vires, possunt flores arnicae montanae, et peruvianus cortex adhiberi. Iuvant etiam

decocta ad ciendam urinam, ut stipitum dulcamarae, smilacis chinae, guajaci: tempore autem veris succi expressi herbarum recentium, sicut hederae terrestris, beccabungae, fumariae, nasturtii aquatici; qui succi aut dentur simplices, aut cum lactis sero depurato, aut jure carnis vitulinae. Si vero sedes paralysis sit in cervice vel in dorso, et veniat ab hypersthenica diathesi, et recens sit, statim mittatur sanguis è brachii venis; si haec sedes sit in lumbis, et osse sacro, sanguis prius è pedibus extrahatur, deinde admoveantur cucurbitulae cruentae, et hirudines prope spinae latera, et venis haemorrhoidalibus, et aliqua administretur purgatio. Progressu morbi apponantur super vertebras et ad latera striae emplastri vesicatorii; et usurpentur diuretica, et diapnoica. Si morbus reluctans, et aeger sit juvenis, utilis esse potest mercurius sub forma unguenti, cujus ad spinae latera unctiones fiant; et etiam interius detur mercurius dulcis. Si autem paralysis ab hyposthenica diathesi dependeat, nec sanguinis missiones, nec purga-

tiones praecipiantur, sed decocta florum arnicae, et peruviani corticis; adjiciantur vesicantia; fiant balnea calida, potissimum sulphurea, et aliquod linimentum volatile. Interdum paralysis provenit ab ossificatione cartilaginum intervertebralium, et tum apud locum affectum ulcera artificialia inurantur; balnea calida sulphurea; extractum aconiti napelli praescribantur. Interdum caussa est atrophia medullae spinalis, et tum expedit tonicum regimen, praesertim lac asininum. Nostris diebus ob actionem, quam habet in spinalem medullam, adhibetur nux vomica, quae cum alea plena sit, sicut plura demonstrant exempla, maximam exposcit cautelam. In paralyses partium plurima sunt remedia, quae nimis longum esset recensere. Inter vero efficaciora sunt aquae thermales, quae aut vehementer prosiliunt, aut ab alto super affectam partem labuntur, unde haec excitatur, et concutitur; flagra; urtica; vinacea recentia; balnea recens mactati animalis; vapor spiritus vini. In paralysin palpebrarum stillicidium vel aquae communis, vel therma-

lis, quae etiam haurienda est: in paralysin linguae oleum cinnamomi stillatitium, cujus aliquot guttae saccharo exceptae ponantur super linguam; frictiones super linguam ipsam spiritu cerasorum nigrorum: in paralysin extremitatum inferiorum laudatur hodie extractum ex radice rhus radicantis, vel rhus toxicodendri, cujus dantur duo grana usque ad sex ter aut quater de die. Usque ab anno 1788. Dufresnoy edidit opusculum, quo celebratur extractum, aut aqua destillata, aut infusio foliorum rhus toxicodendri in paralysin extremitatum inferiorum, et in cutis maculas. Haec vero remedia discrimine plena sunt; nam eorum ipsa praeparatio gravia saepe inducit mala. Interdum in curatione paralysis, quae remediis obstat, haec juvat mutare, et etiam opposita experiri. Etenim in curatione ex. gr. paralysis linguae modo apta sunt stimulantia, modo nocua, et magis confert venarum raninarum sectio. Ita in aliis casibus modo utilia sunt balnea calida, modo frigida; ideo remediorum adnotentur effecta, an scilicet bona sint, vel

mala. Inquit Van-Swieten loc. cit. pag. 387. = Nec desunt observationes numerosae, quae docent plurimis incassum tentatis, etiam balneis calidis, curatas fuisse paralyses per frigida balnea ; et in primis si cataractae labentis ex alto aquae supponatur affecta pars. = Animadvertere vero non linquo, quod si balneum frigidum tentare velimus, incipiendum est ab immersione, et post hanc ponatur aeger in calido lecto. Paullatim per exiguum tempus ille maneat in balneo frigido, ut ad hoc tolerandum assuefiat. Paralysis autem symptomatica multiplici modo curatur. Si enim est symptoma febrium intermittentium exposcit corticem peruvianum; si vermium anthelminthica, et purgantia ; si flatuum carminativa, et etiam purgantia ; si luis venereae mercurium interius et exterius adhibitum, ut in paralysi sphincterum ani et vesicae urinariae litus mercuriales. Saepe si post paralyses supersunt contracturae, et rigiditates membrorum, opem ferunt emollientia, linimenta ex adipe et ossium medulla, vapores aquae calidae, sicci calores a Cel-

so lib. II. cap. XVII. laudati. Utiliter etiam ponuntur aegri in ventre animalium recens mactatorum. Denique optima est, si fieri potest, modica corporis exercitatio; animi quies; purus et siccus aër; omnium caussarum fuga. Interdum dum omnia nequicquam experiuntur auxilia, si aegri in loca salubriori aëre perflata migrent, saepe sensum et motum mirandum in modum recuperant.

SPECIES SECUNDA

Epilepsia

§. 1712. Epilepsia est subitanea amissio sensuum internorum et externorum cum vehementi contractione, et relaxatione musculorum voluntatis imperio famulantium. Propter amissionem sensuum non recordantur aegri quae tempore paroxysmi contingunt. Epilepsia est graecum nomen, quod proficiscitur ἀπὸ τοῦ ἐπιλαμβάνειν, scilicet a comprehendendo, quia vulgo credebatur Daemon aegrum possidere atque agitare. Huic morbo auctores dederunt plura nomina;

nam Hippocrates morbum sacrum vocavit; alii morbum herculeum, quia fabulae hoc mortuum esse Herculem fingunt, cum vestem sanguine Centauri infectam induisset, quam ad eum misit Dejanira; Plato morbum divinum, quoniam partem divinam animae corripit; alii caducum, quia si quis eo deprehendatur, cadit humi; alii comitialem, quia concidente epileptico suspendebantur comitia, aut forsan per aliam rationem, sicut tradunt interpretes.

§. 1713. Est epilepsia primaria, symptomatica, secundaria, sympathica, traumatica, haereditaria; perfecta, vel imperfecta; simplex, vel complicata. Primaria dividitur in hypersthenicam, et hyposthenicam: est perfecta si omnibus propriis symptomatibus stipatur, contra imperfecta. Symptomatica nascitur a morbis vel acutis, vel chronicis, unde variis nominibus appellatur, ut epilepsia hypochondriaca, melancholica, gastrica, verminosa, uterina, febricosa, exanthematica, syphilitica, arthritica, etc. Epilepsia primaria est diuturnus morbus, qui per vices remeat; sed si recens et perfun-

ctorie corripiat, dicitur eclampsia, qualis crebro observatur in pueris dentitionis tempore, aut a retento meconio, aut a ventriculi aciditatibus, aliisve caussis. Epilepsia saepissime cum morbis chronicis, raro cum acutis complicatur.

§. 1714. Interdum epilepsiam praecedunt signa prodroma, ut lassitudo universalis, torpor, insueta tristitia, memoriae defectus, capitis gravitas, vertigo, tremor, sternutamenta, loquendi difficultas, somnus profundus, aut impossibilitas dormiendi, scintillae prae oculis micantes, lacrymatio, tinnitus aurium visa horribilia, propensio ad iram, facies a naturali deflectens, tumescentes palpebrae, arteriae temporales vehementer vibrantes, frequentes oscitationes, sensus formicationis, nausea, salivae fluxus, interdum avida fames, odores non percepti quales revera sunt, constrictio pectoris, ventris durities, palpitatio cordis, urina aquea. Subinde paullo ante paroxysmum dolor urget alicujus partis, sive sit spasmus physodes, sive crampus, sive perceptio aurae frigorificae, quae fulminis instar fertur ad

cerebrum, et accessionem epilepsiae praevertit. Subinde vero sine expositis signis epilepsia invadit, cujus paroxysmi saepe noctu contingunt. Homines concidunt orbati sensibus; musculi totius corporis convelluntur, et inter reliquos digitos retrahitur pollex. Hujusmodi convulsiones et membrorum agitationes sunt aliquando tam vehementes, ut illa distorqueantur, et luxentur. Rotatur caput, et nunc ad scapulas reducitur, nunc ad sternum flectitur; maxilla inferior saepe distrahitur. Subinde epilepsia capiendus, prius quam cadat in gyrum agitur: subinde sub paroxysmo tristes emittuntur ejulatus, vociferatio, clamor, confusa verba. Hinc dyspnoea, sibilus, stertor, singultus, borborygmi, vomitus; facies rubra, aut pallida, livida, tumida; lingua exit ab ore, quae saepe inter dentes constricta; sauciatur; in gravioribus casibus sine voluntate egeruntur faeces, urinae, semen; pulsus saepe magnus, fortis, creber; sed in initio paroxysmi saepe exilis, celer, et versus finem plenior, tardior, debilis; oculi aperti, fixi, et adeo interdum distor-

quentur, ut post paroxysmum lusciosi et truces remaneant; frons irati hominis instar corrugata; fere nunquam ex ore, vel ex naribus deest spuma, praecipue versus paroxysmi finem; sudor capite, collo, totoque corpore manat; nonnunquam retrahuntur testes modo cum erectione, modo sine erectione penis. Paroxysmus cessat aut post pauca temporis momenta, aut post longum tempus, aut post aliquot horas, et tum laxantur membra, et conquiescunt; non amplius turgent venae frontis, temporum, colli; mens stupet, et torpescit; labia nigrescunt, et hiant; saepe manet sopor, languor, moeror, timor; sanguis exit a saucia lingua; redeunt voluntarii motus; nulla recordatio rerum praeteritarum; a paroxysmo recollecti solum de capitis, pectoris, membrorum dolore, et maxima debilitate queruntur. Non semper vero haec post paroxysmum observantur, sed qui eum passi sunt, comparent laeti, appetunt alimenta, et haec bene digerunt, et somnum capiunt tranquillum. Tempore paroxysmi aduri possunt membra, quin aegri dolorem

ustionis persentiant, licet ustio igne ardenti fiat. Epileptici paroxysmi periodice redeunt, scilicet singulis annis, mensibus, hebdomadis, diebus; et etiam pluries in die, aut ordinate, aut inordinate. Cum epilepsia est symptomatica observantur signa morborum, ex quibus originem habet. Itaque si sit symptoma affectionis gastricae, non desunt ructus acidi, nidorosi, rancidi; ventris flatus, borborygmi; pravus oris sapor, nausea, vomitus, dejectiones; post assumptum alimentum anxietas, augmentum symptomatum, dolores abdominis: si vermium, pruritus narium, pallor, sternutamenta, rubores faciei fugaces, mydriasis, pavores in somno, animi deliquia, dejectiones cinereae argillaceae, mucidae, tormina, dolores colici, abdominis meteorismus, tensio, expulsio vermium: si affectionis hepatis, et calculorum felleorum, hepatalgia, icterus, tensio dextri hypochondrii quod saepe tactum non tolerat: si acidi lactis in pueris, excrementa viridia, acidum odorem spirantia, caseosa, vomitus, diarrhoea: si retenti meconii, flatus, ventris tumor, ejulatus, al-

vus adstricta : si difficilis dentitionis, calor et dolor gingivarum, ptyalismus, inquietudo, capitis gravitas, genarum rubor, sitis, febris.

§. 1715. Interdum epilepsia simulatur. Ut simulatio deprehendatur, plura animadvertenda sunt. Concidunt simulantes in loco idoneo, ne sibi afferant damnum; deest adductio pollicis ad manuum volam; si applicetur ignis, dolor ustionis sentitur; paroxysmi sunt artificiose protracti; post paroxysmum nil superest, quod confirmet morbum esse verum. Etenim epileptici insultus veri, breviores sunt; hisce absolutis, minuitur corporis calor; erumpit universalis sudor; pulsus est irregularis; urina aquea; moratur aliquid in vultu, quod morbi veritatem ostendit, ut oculi vacillantes, intuitus ferox, dilatatae pupulae. Cum genuini epileptici insultus frequenter repetuntur, et longi sunt, consequitur extenuatio, praesertim brachiorum, et crurum. Attamen multi sunt qui optime epilepsiam simultant, et actionem ipsius ardentis ignis sustinent. Itaque omnes indagines, et in-

terrogationes fiant, ut a responsionibus rite judicare possimus. Quoniam res summi momenti est, perspicuum juvat referre exemplum, quod scriptum reliquit Sauvages Nosolog. Method. Tom. I. pag. 582. = Puella septennis epilepsiam simulabat tam apposite, ut nemo in nosocomio generali dolum suspicaretur: interrogata num sentiret auram ex manu ad humerum, inde ad dorsum et femur, ea annuit; praescripsi usum verberum, quo audito, sanata est. =.

§. 1716. Cavendum est, ne epilepsia cum hysterismo confundatur. Fere nunquam hysterismus ante pubertatem observatur; spuma ex ore est paroxysmorum epilepticorum propria, et non hystericae affectionis, quae evidentibus characteribus distinguitur, ut copiosa excretione aqueae urinae; globo ad fauces ascendente, qui vocatur hystericus, etc. Differt etiam epilepsia a simplicibus convulsionibus, sub quibus illaesi manent sensus, et animi facultates, maxime memoria; deest spuma ex ore, et adductio pollicis. Epilepsia praeter abolitionem memoriae est morbus chronicus, et periodicus

ideo differt ab eclampsia, quae consistit in insultibus convulsivis, quamvis hi aliis epilepsiae symptomatibus consociantur. Hujusmodi eclampsiae insultus veniunt ut plurimum in cursu aliorum morborum, ut febrium nervosarum, et verminosarum, encephalitidis, dentitionis, etc.

§. 1717. Epilepsiae caussa proxima nos fugit. Illa quidem est in cerebro, sed non intelligitur quae ipsa sit. Eam statuebat Cullen in morbosa affectione quoad cerebri vim ab actione caussarum morbosarum excitata. Sed quid certi dicere possumus de morboso cerebri statu, qui inducere potest epilepsiam? Tamen cum haec sit morbus, qui aut robustos, aut debiles corripit, proxima caussa esse videtur morbosa sensibilitas, quae vel a plethora, vel a debilitate excitatur. Quod in cerebro adsit auctus sensibilitatis gradus signa prodroma, et constituentia morbi, et caussae remotae demonstrant. Caussae enim praedisponentes sunt aetas infantilis, pubertas, juventus; haereditaria labes; sexus, quia in hominibus frequentior epilepsia est; maxima ingenii

perspicacia ; clima frigidum ; tempus vernale, unde Hippocr. lib. III. aphor. 20 inter vernales morbos epilepsiam numerat. Caussae excitantes sunt quae agunt in cerebrum, idque irritant, debilitant, ejusque sensibilitatem augent, ut insolatio ; abusus vini, et spirituum ; animi pathemata, ut gaudium, terror, timor, amor, ira; coitus frequens, ardens, impropriis horis, maxime post pastum institutus ; mastrupatio ; venena ; nimia studia ; odores fragrantes ; profusae haemorrhagiae, aut illae consuetae repressae. In pueris caussae frequentes sunt pravum lac ; difficilis dentitio, et eruptio dentium, maxime caninorum. Crebro etiam in caussa sunt cerebri, et cranii vitia, ut in illo tumores ; aquae diffusae, aut collectae; concretiones ; polypi : in hoc ossium componentium deformitas. In epilepsia symptomatica cerebrum est bene constitutum, sed vitia adsunt in longinquis partibus, ut in visceribus, ossibus, vasis, nam epilepsia saepe nascitur ab affectionibus inflammatoriis, gastricis, verminosis, nervosis, venereis, calculosis, exanthematicis. Epilepsia

secundaria ut plurimum oritur a retrocessione morborum cutaneorum. Traumatica non solum ab ictibus, vulneribus, fracturis, concussionibus capitis; sed etiam aliarum partium, ut testium, columnae vertebralis, extremitatum.

§. 1718. Generatim epilepsia est morbus longus et periculosus, qui repetit accessus, facile transit in apoplexiam, et interdum prima accessione interimit. Interdum non solum est longus et periculosus, sed comitatur quamdiu vita manserit. Ut plurimum post imminutam suffocationem, et spumae ex ore, et naribus expressionem incipiunt imminui convulsivi motus, respiratio fit liberior, accedit somnus, et post somnum excitatio. Epilepsia, quae absque praecedentibus signis corripit, raro sanabilis est; nunquam vincitur haereditaria, et congenita; symptomatica, et sympathica recens non raro sanatur. Quae venit a gastricis impuritatibus, et a vermibus, aut a caussis accidentalibus magna probabilitate superatur: venerea saepe vincitur: scrophulosa, rachitica ut plurimum eludit artis conamina:

non emendatur, quae venit a prava solidorum conformatione. Senes plerumque pereunt; pueri circa pubertatem liberantur; infantes culpa lactis, vel retropulsae impetiginis epileptici, possunt ad sanitatem venire, si corrigatur lac, aut impetigo advocetur ad propriam sedem. Inquit Hippocr. Sect. II. Aphorism. 45. = Epileptici pueri mutatione aetatis, regionis, et victus liberantur. = Experientia confirmatur, epilepsiam, quae a quinto vel sexto vitae anno inceperit, tempore pubertatis evanescere. Epilepsia recens facilius, quam diuturna, et chronica sanatur. Idem Hippocr. de morbis puerorum XIII. 15. notavit = Quum aetatem adeptus fuerit morbus non amplius curabilis est = Sperandum etiam est, si paroxysmi rariores, et mitiores sint; contra timendum. Dum enim epilepsia frequenter revertitur, magis laedit memoriam et intellectum, ac saepe abit in imbecillitatem, et dementiam. Nocturna epilepsia est curatu difficilior. Si aeger aurae frigidae perceptione accessum epilepsiae praesentiat; si post paroxysmum in utrumvis oculum dormiat, cibi appetentiam

habeat, sit mentis et corporis alacer, et feliciter perfungatur functionibus, spem fovere debemus; ex adverso si convulsiones sint violentiores; respiratio admodum laboriosa; vultus lividus; et functiones omnes pervertantur. Inter pessima signa habendus est sensus venientis accessionis non ab extremitatibus, sed a capite incipiens; sic epileptici insultus in statu febrium acutarum et exanthematum contingentes. Dantur exempla sanationis, si ad cubitum superveniat tumor; aut cholera, dysenteria, haemorrhagiae, morbi cutis: è contrario si epilepsia succedat inflammationi cerebri, maniae, melancholiae diuturnae, ut plurimum insanabilis est. Epilepsia, quae in puellis circa mensium eruptionem contigerat, sub gestatione, et praesertim partu, aggressum iterat. Aliquando epilepsia solvitur itineribus; mutatione caeli; vitae generis; supervenientibus exanthematibus vel impetiginibus, ut herpete, scabie, erysipelate; febribus intermittentibus, acutis; exulcerationibus; haemorrhoidum fluxu, aliisque haemorrhagiis. Saepissime in apoplexiam, paralysin com-

mutatur. Gutta serena epilepsiae superveniens est crebro mortis, vel ferociae morbi signum. Frequentissime epileptici melancholici fiunt, et contra. Haec foenomenorum vicissitudo praecipue evenit, cum aliquod in cerebro abditur vitium.

§. 1719. Sepe numero in cadaveribus inveniuntur ossa cranii crassa, exigua, carie exesa; frons depressa, et ossa temporalia compressa; exuberantiae, polypi, hydatides, exostoses; effusiones vel seri, vel sanguinis in cavitate capitis; meninges nimis densae, siccae, conspersae tuberculis; vasa turgida; dura mater cranio adhaerens; pia mater caerulei coloris cum tumoribus spongiosis; cerebrum foetidum, molle, laxum, tenax, durum, tuberculosum; glandula pienalis aliqua morbosa conditione affecta; hydatides in plexu choroideo; cerebellum vel molle, vel laxum, vel tenax; medulla oblongata modo dura, et fere cartilaginea, modo mollior, ut et spinalis medulla; pulmones flaccescentes; cor magnum, et cum pericardio concretum; cordis vasa turgentia, et dilatata.

§. 1720. Curatio alia generalis, alia particularis est, quae scilicet speciem et caussas epilepsiae respicit. Prima ante paroxysmum, tempore paroxysmi, et post paroxysmum locum habet. Diximus esse interdum signa prodroma; tum prout ipsa sunt, administrantur auxilia, Si quis ex. gr. sit motus è nervorum convulsione, eligantur antispasmodica: si functiones ventriculi, et intestinorum perturbentur, aut leve purgans, aut emeticum; deinde aliqua corticis peruviani decoctio, aut infusio quassiae amarae: si sensus venientis accessionis compareat in artubus, arcta fiat ligatura, et interdum validae frictiones. Accedente vero paroxysmo, oportet arcere mala, quae inde consequi possunt. Quapropter ponatur aeger in lecto cum elevato capite; intromittatur in ore duplicatum linteum, ut lingua inter dentes non vulneretur; molliter extendantur convellentia membra, et perfricentur; fiant fotus emollientes ad hypochondria, et ad ventrem; si paroxysmus sit nimis longus, et profundus sopor, et temperamentum plethoricum, secetur ve-

na, maxime jugularis, aut arteria temporalis, applicentur cucurbitulae siccae, vel cruentae; injiciantur clysteres. Dum autem paroxysmus manifesto a virium debilitate oriatur, adhibeantur frictiones stimulantes; clysteres ex decoctione chamomillae, et laudano liquido Sydenhami; sumatur liquor anodynus mineralis Hoffm., tinctura castorei, oleum Dippelii, etc. Extra paroxysmum si caussa sit plethora, aut aliqua haemorrhagia cohibita, aetas florida, temperamentum valens, expedit emissio sanguinis, hirudines, cauteria sub occipite: contra si caussa sit debilitas, roborantia praestant ut cortex peruvianus, radix valerianae sylvestris, martialia; alimenta nutrientia sint, et levia; non omittatur exercitatio corporis; aër purus respiretur. In pueris frequens caussa est serosa colluvies, aut retrocessio crustae lacteae. Hisce in casibus vesicantia, et fonticulus cervici admodum utilis est. Generatim remedia in epilepsiam aut stimulantia, aut evacuantia sunt. Etenim dum adsunt hypersthenicae diatheseos signa, opportunae sunt sanguinis missiones, purga-

tiones, clysteres; dum vero illa adsunt hyposthenicae diatheseos, conveniunt tonica, stimulantia volatilia et fixa, topica, ut cortex peruvianus, radix valerianae sylvestris, elixir acidum Halleri, balnea frigida, electricitas, fluidum galvanicum, vesicantia, cauteria, moxa capiti et cervici. Si vero epilepsia nascatur ab humorum vitiis, quae olim appellabantur acrimoniae, utilia sunt diluentia, edulcorantia, temperantia, ut serum lactis depuratum sive simplex, sive cum herbarum succis, sicut cichorei, fumariae, nasturtii aquatici; decoctiones radicis chinae, sarsae parillae; lac asininum; jura carnis vitulinae, ranarum, cancrorum fluviatilium; aquae medicatae; balnea aquae dulcis; etc. Si in pueris excitetur epilepsia a nimia alvi duritie, ut non raro evenit, laudandus est usus calomelani, rhabarbari, jalapae: si a difficili dentitione, inter caetera in usu est profunda gingivarum incisio; praecipiuntur balnea calida pedum; eccoproticis, et clysteribus emollientibus vacuatur alvus: si a vermibus, expediunt anthelminthica, quae secundum illorum

speciem leguntur: si a gastrica labe, prius detrudantur inquinamenta; deinde si stomachus debilitetur, amara decocta juvant. Si epilepsia manat ab affectione hysterica, opem ferunt anthysterica ut tinctura castorei, aqua hysterica Querc., liquor anodynus mineralis Hoffm., Spiritus C. C., oleum Dippelii, etc: si a venerea lue, praesidio sunt antivenerea, maxime mercurius, et mercurialia remedia, quamvis saepe horum usui opponitur nimia epilepticorum sensibilitas; ideo necesse est alia antivenerea adhibere; sed si haec non sufficiant, parvas frictiones mercuriales possumus experiri. Si epilepsia oriatur a repercussione exanthematum, vel impetiginum, si fieri potest, materies retroversa revocetur. Tandem si epilepsia traumatica sit, examinanda est externa laesio, ut apta statuatur curatio; ut si illa proveniat a portione rescissa nervi, hujus sectio facienda est.

§. 1721. Animadvertendum est, quod omni tempore celebrata fuerunt in epilepsiam remedia, ut fere specifica habita, quorum alia pro diversis casibus sunt usurpan-

da, alia periculo plena sunt, alia absurda, alia περιαμματα, scilicet amuleta. Etenim ubi epilepsiae caussa est virium debilitas, jampridem praedicabatur usus visci querci-ni of. seu loranthi europaei L. ob suam roborandi vim. Hujus dabatur quotidie in aqua cerasorum nigrorum drachma, aut adhibebatur decoctionis forma. Hoc remedium fere omnino obsolevit, sed hodie iterum proponitur, praecipue ob succos, quos continet, mucosos. Commendabatur etiam cinnabaris factitia a quatuor granis usque ad decem exhibita, quae quidem optimum sistit remedium; unde rationem non intelligo, quare non ita pridem fuerat dimissa. Quondam existimabatur etiam radix dictami albi cujus pulvis ter porrigebatur de die a dosi granorum quinque, usque ad viginti per tres hebdomadas. Deinde infusio ejusdem radicis in plures chronicos morbos et in epilepsiam a Storch fuit praebita. Nostra vero aetate plura remedia ornantur laudibus, ut radix valerianae sylvestris; radix paeoniae, cujus etiam semina aut sub forma pulveris, aut decocti in epilepsiam, et paralysin anti-

quitus usurpabantur; assa foetida; extractum stramonii, cujus dosis est dimidium granum bis in die, quae etiam augeri potest; extractum atropae belladonnae a dimidio grano ad tria; strychnos nux vomica, cujus pulvis ab uno ad duo grana dari solet. Hoc vero remedium considerate ministretur, utpote veneficae indolis, potisque epilepsiam, et mortem ipsam afferre. Sic radix doronici pardalianches, quae in vertigines et epilepsiam porrigebatur, etiam hodie a quibusdam proponitur, licet venefica, et periculosissima. Apud Germanos in usu sunt flores convallariae majalis. A destillatione enim horum florum recentium obtinetur aqua, cui plures tribuuntur proprietates, ut ad vertiginem, palpitationem cordis, affectus comatosos, et epilepsiam esse remedium. Sed epilepticis saepissime auxiliantur flores zinci, incipiendo a dimidio grano usque ad tria. Si detur major dosis ut plurimum sequitur vomitio. In pueris vero incipiendum a quarta vel tertia parte grani, et deinde augetur dosis. Secundum Burserium, aliosque practicos non recentiores,

flores zinci creduntur antispasmodici, et irritandi, resolvendi, attenuandi vim habere. Hujusmodi flores plerumque dantur cum saccharo sub forma pulveris; nam dum illa pilulari exhibentur, lentius agunt. Saepe etiam ferrum, aquae martiales minerales, flores salis ammoniaci martiales utiles sunt. Alia etiam laudant novissimi scriptores, ut cuprum ammoniacale, cujus dosis est dimidium usque ad duo grana; sulphas aeris, cujus fit bolus duobus vel tribus granis cum conserva rosarum; mercurius; nitras argenti. Hoc remedium interdum feliciter cessit; sed semper cautim porrigendum. Idcirco incipiatur a sextadecima parte grani; deinde augeatur dosis, scilicet ad tres quartas grani partes, et etiam ad granum. Sumantur itaque grana tria nitratis argenti, quae trituratione dissolvantur in aliquot aquae guttis; deinde sufficienti quantitate mollicae panis fiat massa pilularis in duodecim pilulas dividenda, quarum una, vel duae dentur in die. Alia etiam proponuntur discrimine plena, et ideo omnino rejicienda, ut sunt aether phosphoricus;

tinctura arsenicalis Fowler. Jandudum adhibebantur absurda, et nauseae plena, quamvis non aliqua utilitate carentia, utpote quae phosphorum continent, sicut cranium humanum contusum; humana secundina; urinae, et faeces hominum, canum, praecipue stercus pavonis; ungula alcis. Ut specificum habebatur pulvis Marchionis, in quo praeter plures alias substantias erat humanum cranium subtilissime contusum. Sic pro curatione epilepsiae infantum in usum vocabatur monstruosus pulvis de Gutteta, in quo praeter caetera ingrediebatur cranium humanum, et ungula alcis. Externa etiam remedia pro variis casibus plura sunt, ut fotus; frictiones ad nasum, tempora, regionem epigastricam cum aethere; vesicantia; setacea; cauteria; moxa; applicatio glaciei; balnea frigida, tepida, maxime pro foeminis epilepsia uterina laborantibus, fluviatilia, marina; electricitas, fluidum galvanicum, etc. Veteres usi sunt amuletis, quae persaepe erant metalla, aut aromaticae substantiae. Nostro etiam aevo plures epileptici cum magnete incedunt.

§. 1722. Pro absoluta epilepsiae curatione magni interest diaeteticum regimen statuere. Etenim non raro epilepsia sanatur mutatione aëris, habitationum, vitae generis; apta corporis exercitatione; animi quiete; frequentibus, acceptisque itineribus; rusticatione, aut rure vitam ducendo; alimentis salubribus, digestuque facilibus. Vitanda itaque sunt animi pathemata, praesertim terror, et ira; quamvis interdum epilepsia a quibusdam animi motibus fuisset persanata. In hoc vero instituendo regimine distinguatur morbi species, ut alia admittantur, abnuantur alia. Excludatur ex. gr. vinum ubi viget hypersthenica diathesis; concedatur contra sub hyposthenica, sed aqua temperatum. Ita pro quibusdam epilepticis maxime juvat diaeta lactea, pro illis nempe, qui lac bene digerunt, vitiis laborant humorum, et ad scorbutum dispositionem habent; contra nocet illis, qui lac non tolerant, et facile accenduntur ira. Ita de reliquis quae ad diaetam pertinent dicendum est, ut, si morbum non omnino subigere possimus, meliorem saltem aegrorum conditionem reddamus.

SPECIES TERTIA

Morbus cerealis

§. 1723. Dicitur morbus cerealis, qui a nociva secalis cornuti actione producitur. Siquidem in hoc morbo vel formicationis sensus sub cute, neuralgiae, motus convellentes, vel extremitatum gangraena occurrit, duae statuuntur formae, quarum una chronica est, et convulsionibus expromitur, altera acuta, et gangraena declaratur. videamus igitur symptomata, quae utramque retegunt.

§. 1724. Prima morbi forma quae vocatur a multis raphania, a quibusdam spasmodica, ab aliis apyretica, est convulsiva affectio in sensu formicationis sub cute, contractione articulorum, agitatione membrorum, dolore vehementi, vel periodico vel sine ordine, consistens. Interdum torquet per aliquot dies, sed saepe per plures menses. In morbi principio animadvertenda symptomata sunt artuum lassitudo, inquietudo,

moeror, horror errans, capitis, et circa dorsi spinam dolores, nausea, praecordiorum anxietas, molesta circa regionem epigastricam constrictio, vertigines, in augmento autem tendinum subsultus, convulsiones ut in choraea S. Viti, aut membra rigent ut in opisthotono, ardor intestinorum, algor dorsi, temulentia, sitis inexplebilis, sudores, pectoris constrictio, dyspnoea, aphonia, convulsiones vehementes, animi defectus, cardialgia: in statu morbi gravis convulsionum et dolorum paroxysmus, pituitae et vermium vomitus, diarrhoea etiam cum vermibus, sitis ardens, bulimia. Hujusmodi paroxysmus modo est periodicus, scilicet alternis diebus invadens, modo sine ordine. Declinatio denique morbi admodum varia est; nam aliquando circa decimum, undecimum, vigesimum diem, aliquando tardius evenit cum copiosis sudoribus, et exanthematibus. In quibusdam post aliquot menses terminatur tabe; in aliis stupore capitis, rigiditate artuum; resolutione, vel retractione membrorum, ut dumtaxat pedum digitis deambuletur. Absumuntur musculi pollicis; con-

sequitur fatuitas, balbuties, spuma cruenta ab ore emittitur; motus maxillae inferioris et deglutitio impeditur, vox debiliter redditur, facies fit pallida, dilatatur pupula. Progrediente morbo, accessus frequentiores evadunt, et post aliquot hebdomadas sequitur diarrhoea, nervorum resolutiones, anthraces, bullae, bubones, ecchymoses.[1] Si vero nimium protrahatur morbus, sequitur epilepsia contumax, fatuitas, lentis suffusio, diplopia, membrorum resolutio. Hujusmodi forma apud Germanos saepe epidemica est.

§. 7725. Altera forma, quae a Sauvages dicitur convulsio ab ustilagine, et ab aliis morbus cerealis gangraenosus, incipit pedum et manuum formicatione; capitis, ventriculi, dorsi, et artuum doloribus; temulentia: post accedunt convulsiones, et nonnullis transactis diebus accenditur febris cum interno et ingenti aestu, dolore ad pollicem pedis acerrimo, qui mox ad metatarsum; tarsum, et universum crus distenditur; extremitates pallescunt, livescunt, frigescunt, et ad motum invalidae, mem-

brorum anaesthesia; tandem gangraena, ex qua funditur foetidus ichor, sed saepe est gangraena sicca. Animadvertendum est, quod implacabilem dolorem sequitur completa insensibilitas, et tum moveri, et insistere pedibus impossibile est. In variis crurum partibus superveniunt maculae violaceae, ampullae quae profundunt humorem serosum, foetidum, aut atri sanguinis guttas. Cito usque ad genu extenditur gangraena. Partes in sphacelo a membris separantur, scilicet digiti, majores articuli, aliaque membra a trunco absque sanguinis profusione. Interdum epilepsia, aut apoplexia succedit. Morbi cursus est plerumque trium septimanarum. Haec forma apud Germanos rarior; in Gallia frequentior est.

§. 1726. Propter actionem secalis cornuti quae depravat et abolet vitale principium fibrarum muscularium, et nervorum, praesertim partium remotarum a corde, caussa proxima morbi cerealis est maxima nervorum, et fibrarum muscularium debilitas. Symptomata ostendunt, nempe cardialgia, temulentia, formicatio, paralysis, gangrae-

na, sphacelus, morbum prius plexus nervorum abdominalium, post cerebrum, medullam spinalem, et tandem nervos extremitatum aggredi. Ad morbum cerealem proclives sunt pauperes, et locorum palustrium habitatores; mares plus quam foeminae; illi qui vehementibus animi motibus agitantur. Caussa excitans est ipsum secale cornutum. Anteaquam cognitum fuisset, credebatur caussa esse anni tempestas nebulosa; aëris depravatio; contagium; granorum inopia; panis corruptus; ustilago; lolium temulentum; raphanus raphanistrus. Hic enim quibusdam annis germinat et uberrime fructum edit in arvis, quibus committitur triticum; et raphani hujus semina, si forte tritico immisceantur, et molantur, panem ita credebantur reddere perniciosum, ut hic producere possit morbum cerealem, sicut etiam autumat Linnaeus Amoen. Academ. Modo vero omnes experientia edocti conveniunt, primam morbi convulsivam formam ab exiguis dosibus secalis cornuti, aliam vero formam gangraenosam a majore illius dosi proficisci. Ratum praeterea habemus secale cornutum

electilem affinitatem cum utero, et partibus ad hunc pertinentibus possidere; ideoque utiliter illius porrigitur decoctum, vel infusio, vel extractum, vel farina quae quidem potior est ad dosim triginta, usque ad quinquaginta granorum, ut excitentur uteri contractiones ad expulsionem foetus necessariae, cum hae sub labore partus nimium langueant. Hoc vero remedium dari non debet cum uteri collum est durum, dolens, turgens, sed emollitum et aliquantum diductum; et cum foetus secundum naturam se sistit. Semper vero caute est exhibendum, ne damnum afferat. A multis creditur, secale cornutum tractu temporis venenatas qualitates amittere; sed alii non in eadem sunt sententia. Secale cornutum est morbosa aristarum constitutio, consistens in magno seminum tumore quae in cornua nigra mutantur, unde nomen deducitur. Ergo spicae secalis habent plura grana cornuta, sex aut septem lineas longa, quae extra sunt nigra, intra alba; facile rumpuntur; recentia ingratum odorem spirant; aëris contactu exiccantur, et fiunt maxime levia.

Nunquam tota spica hisce granis infectis componitur; sed in ea tantum aliquot grana, sic corrupta inveniuntur. Secale cornutum paludosis campis uberat, praesertim pluviosis tempestatibus. Quoad hujus generationem non omnes in unam concurrunt sententiam; nam alii arguunt substantiam melleam et viscosam, quae una cum rore grana secalis penetrat, unde excitatur in ipsis fermentatio; alii solum macrum, humidum, praesertim cadentibus imbribus; alii vermes. Farina quae continet magnam quantitatem secalis cornuti habet colorem luteolum, ingratum odorem, saporem acrem, empyreumaticum. Si haec farina animalibus domesticis praebeatur, ut anatibus, et porculis, ab ipsis recusatur; sed si eam vorent, sicut homines afficiuntur, et moriuntur. Pasta ex farina, quae continet secale cornutum vix calore elevatur; et si panis calidus comedatur ex ista farina compositus, maximo damno est.

§. 1727. Morbus cerealis ut plurimum lethalis est, et ubi forte fortuna subigitur, supersunt nervorum pathemata, quae prae-

sertim mensibus januario, et februario affligunt. Ut vero absolutum statuatur omen, sunt in primis exquirenda symptomata. Inter haec laeva sunt mentalis alienatio perstans; maxima nervorum debilitas; praecordiorum anxietas; tetanus; convulsiones: prospera vero sunt imminutio spasmorum, convulsionum, formicationis; sudores; exanthema rubeolae simile; cessatio rigiditatis; mentis integritas. Spontaneus partium secessus non obstat progressus vitae. Si remaneant epilepsia, vel fatuitas, artis conaminibus resistunt. Interdum contingunt vomitus salutares cum vermibus; ut et abscessus, ptyalismus. In foeminis morbus et longior, et peculiari ferocia ante periodum menstruationis torquet. Cadavera prompte putrefiunt; in ipsis inveniuntur effusiones serosae in capite, specu vertebrali, et cavitate pectoris; cor flaccidum, ejusque ventriculi vacui; maculae gangraenosae, et inflammatio ἐρυσιπελατώδης in visceribus.

§. 1728. Plerumque cerealis morbus diathesi hyposthenicae; interdum illi hypersthenicae nectitur. In primo casu succurrunt

stimulantia prius mitia, mox fortiora, volatilia et fixa, ut tinctura castorei, oleum animale, aether sulphuricus, cortex peruvianus, serpentaria virginiana: sed si persistant convulsiones, auxilio sunt opiata; frictiones extremitatibus, spinae dorsi vel linimento volatili, vel spiritu vini camphorato; vesicantia: vitetur frigus, et animi pathemata. Si contra aeger sit plethoricus, robustus, juvenis; pulsus sit durus; assidui affligant dolores; vehemens sit delirium, aliqua prodest sanguinis missio. In dubiis vero casibus tutior est hirudinum applicatio, aut cucurbitularum scarificantium. Si vero appareant signa gastricarum saburrarum, et vermium, omittenda non sunt levia purgantia, aut emetica, si adsit nausea. Emetica autem esse non debent levia ubi extemplo illis succurrendum est, qui magnam secalis cornuti dosim sumpsere, ut sunt viginti quatuor, aut triginta ipecacuanhae grana. Deinde ad nervosa symptomata comprimenda, conferunt remedia antispasmodica; balnea calida; infusa diaphoretica, decoctum corticis peruviani, serpentariae vir-

ginianae; frictiones laneae; vesicantia prope partem spasmo affectam, et rigidam; respirandus aër calidus sit, et siccus. In paralysi commendatur electricitas; balnea calida; vapores; frictiones. Incipiente vero gangraena convenit solutio aluminis et salis culinaris; decoctum quercus roboris; infusio chamomillae; si jam sphacelus adsit, spirituosi fotus, pulveres aromatici; sulphas ferri. Habetur quaestio, an fieri debeat amputatio partis gangraena affectae; nam alii huic operationi adversi asserunt, periisse omnes, quibus secta fuerunt membra; alii favent, si natura per lineam corruptam partem a sana separet. Mortificatio circumscribi solet, quae post quam occupaverit crus, hoc ab articulatione refigitur, vulnus colore rubro relinquens. Plerique non suadent amputationem cruris, nisi cum gangraena consistat, aut in aliquo artuum puncto coerceatur.

Tremor

§. 1729. Tremor, τρόμος, est convellens membrorum motus, sive oscillatio, qua exiguo temporis intervallo, illa elevantur, deprimuntur, et in oppositas partes feruntur. Huic generali definitioni duae dandae sunt exceptiones, scilicet tremor capitis, quod circa suum axim movetur; et tremor alicujus musculi, qui a Sauvages vocatur tremor palpitans. Etenim in reliquis tremoribus non musculus, sed artus, et membra, sicut diximus, agitantur. In hac autem agitatione, quidam deprehenditur ordo, quoad temporis intervalla; dum nullus est ordo in musculi tremore, cujus fibrae ex improviso, fugaciterque subsiliunt.

§. 1730. Tremor est primarius, symptomaticus, secundarius, congenitus, senilis, traumaticus, universalis, partialis, recens, inveteratus, continuus, periodicus. Nosologi pro diversis caussis varia tremori dederunt nomina; siquidem vocatus

fuit nerveus, si caussae agant in cerebrum, spinalem medullam, et nervos; plethoricus, si a nimia quantitate sanguinis nascatur; gastricus, si a gastricis impuritatibus; verminosus, si a vermibus; sic rheumaticus, arthriticus, si a diathesi vel rheumatica, vel arthritica proveniat.

§. 1731. A caussis, et symptomatis qui sit tremor cognoscitur, an nempe nerveus plethoricus, gastricus, vel alterius indolis. Etenim tremor nerveus molestat homines maxime sensibiles; concussos animi affectibus; qui coffea, odoribus, aliisque abutuntur, quae systema nervorum provocant: tremor plethoricus revelatur pulsibus plenis; rubore, et turgore faciei; defectu menstruorum, haemorrhoidum, lochiorum, aut alterius consueti sanguinis cursus; nimium lauto cibo; desidiosa vita: si oriatur tremor ab imbecillitate corporis, pulsus sunt debiles; facies est pallida; labor, dum movetur corpus; exhaustae vires ab immodica venere, mastrupatione, nimiis exinanitionibus, deprimentibus animi affectibus: si excitatur a metallorum exhalationibus, unde vocatur

metallurgorum tremor, manifestatur pallore vultus; livore albugineae; gravitate capitis; aurium susurru; artuum doloribus; corruptione gingivarum, et lapsu dentium; diarrhoea colliquativa; lividis unguibus; amissa voce; tremoribus prius in membris, deinde in toto corpore. Si vero exhalationes emittantur a plumbo, cum tremoribus torquet alvus adstricta, colica, umbilici retractio; pulsus lentus est, et durus; aliaque urgent symptomata, quae colicae saturninae propria sunt. Tremor autem symptomaticus, aut secundarius a primariis morbis deprehenditur; traumaticus a vulneribus, contusionibus, aliisque externis injuriis.

§. 1732. Si caussae remotae, et symptomata ponderentur, conjicitur, caussam proximam tremoris vel esse irritationem nervei systematis, vel debilitatem systematis ipsius, ut evidenter apparet a tremore, qui ab universa corporis debilitate nascitur. Caussae praedisponentes sunt temperamentum vel plethoricum, vel debile, vel nimium sensile; aetas senilis; vitae genus desidiosum, et molle. Caussae excitantes plures sunt,

ut nimia sanguinis quantitas ; abusus vini, liquorum spirituosorum, coffoeae, veneris; mastrupationis vitium ; quaedam animi pathemata, ut ira, gaudium, timor; repressa perspiratio; inedia; immoderatae exinanitiones ; metallorum exhalationes. Nostris temporibus inter tremoris communiores caussas recensetur abusus coffoeae, ut plures affirmant Germaniae scriptores. Coffoea quidem si modice sumatur non solum est jucunda potio, sed etiam maxime utilis, quippe quae exhilarat ; facultates intellectuales excitat ; faciles reddit alimentorum coctiones ; et saepe capitis dolores dissipat. Illius vero abusus magnum affert damnum, aut nimis frequenter sumatur coffoeae potio, aut haec sit nimis satura, aut non bene parata ; quatenus calefacit, agitat, somnum aufert, et prius manuum tremorem inducit, post aliarum partium, aliasque nervosas aegritudines, praecipue si homines sint studio scientiarum dediti, natura valde sensibiles, et ad morbos nervei systematis comparati. Etiam inter familiares caussae sunt quaedam artes, quarum exercitatio exponit

homines mercurii, plumbi, aliorumque metallorum exhalationibus. Qui operam suam in fodinis locant, facile tremunt; ideo opus est seligere robustiores, ut in Scotia fit, quorum robur ubique celebratur. Ignoratur autem caussa illius tremoris, qui dicitur palpitans. Veteres hunc judicarunt proficisci a flatibus, nempe ab eorum explosione, propter velocitatem, et fugacitatem motus. Saepe tremor symptomaticus est effectus febrium; secundarius retrocedentium impetiginum.

§. 1733. Pejor est tremor, qui oritur a nervorum debilitate, quam ille a plethora genitus. In senibus non incutit timorem, sed insanabilis est, ut et congenitus, qui reddit vitam miseram, et miseratione dignam. In bibacibus facile tremor in hydropem, apoplexiam et paralysin abit. Ille a plethora, ab abusu coffoeae, vini, spirituum sanari potest, si sit recens, et cito amoveantur caussae. Ubi exhalationes metallicae in caussa sunt, si hae non evitentur, paralysis, et atrophia consequitur. Saepe miserabilis tremor nascitur a pathematibus, qui-

bus obuoxia fuit mater tempore gestationis. Inquit Sauvages Nosol. method. tom. I. pag. 559. = Mulier gravida quae maritum subito peremptum exhorruerat genuit filium tremore miserando correptum = Tremor habitualis per totam reliquam vitam ut plurimum remanet, praecipue si aetas ad senectutem inclinet; nihilominus aliquando evanescit, si quis acutus morbus forte accedat. Timendus est tremor qui sanis sine caussa apparenti contingat; ideoque intento animo opus est, ne consequantur paralyses, et apoplexiae. Tremor symptomaticus est plus vel minus gravis, et crebro morborum exitum indicat. Ut enim in sano corpore timere facit paralysin, sic si paralysi superveniat sperare facit salutem. Si contingat in augmento febrilium accessionum affectionem capitis praenuntiat. In febribus ardentibus si adveniat post delirium lethalis est. Tremor et tendinum subsultus in febribus mali moris, et in inflammatione cerebri est frequens laevumque symptoma. In febribus acutis, maxime in earum progressu, tremor artuum et linguae infaustum

finem indicat. Etiam tremor secundarius habet plus vel minus gravitatis, et interdum utilis est. Effugit tremor, qui comparuit post retropulsas impetigines, si hae revocentur ad cutem: est insanabilis, si succedat alicui nervoso morbo: est periculosus, si post partum invadat mulieres; aut excitetur a quibusdam retentis in utero; siquidem consequi potest epilepsia. Aliquando secundarius tremor utilitatem affert, quia agitatione corporis paralysis, capitis dolores, aliique nervosi morbi resolvuntur. Ait Klein Interpr. Clinic. pag. 270. = Novimus cephaleam diuturnam tremore brachii ac manus protracto solutam. Tremore solvuntur ἀφωνίαι ex rigore factae = Denique traumaticus tremor subinde manet paucas horas, ut in vulneribus et contusionibus levibus capitis; subinde persistit, ut in gravibus capitis ipsius laesionibus.

§. 1734. Curatur tremor a plethora natus emissionibus sanguinis generalibus, et localibus; diluentibus; victu tenui: ille ab universa corporis debilitate analepticis, et roborantibus, praesertim decocto corticis

peruviani; animi quiete; nutrientibus alimentis; moderata exercitatione; rusticatione: alter a partiali infirmitate nervorum, eodem peruviani corticis decocto; opio, ejusque compositis; frictionibus; vesicantibus: si ab exhalationibus metallorum productus, praeter harum fugam, decoctis sudoriferis; lacte cum decocto radicis chinae; thermis sulphureis; optimis alimentis, et digestu facilibus. Qui vero in fodinis operi insudant non improviso actioni frigidi aëris se exponant; non identidem negligant balnea tepida; non jejuno stomacho laborent; teneant in ore et in naribus spongiam aqua imbutam; utiles etiam ad amoliendos membrorum tremores sulphuris vapores creduntur. Non raro curandus est tremor ab ignota caussa; tum laudatur chenopodium ambrosioides, utpote remedium quod agit in nervos, quamvis pro nervorum morbis fere nunquam adhibetur.

SPECIES QUINTA

Chorea S. Viti.

§. 1735. Chorea S. Viti est convulsiva commotio, adolescentum utriusque sexus propria, gesticulationibus, saltationibus, contorsionibus distincta. Vocata fuit a Galeno scelotyrbe, vox a σκέλος artus, et τύρβη tumultus composita, quod nomen Sauvages, et Sagar, amplexi sunt; ab aliis saltatio, βαλλισμὸς; aliis orchestromania, choreomania; sed a plerisque chorea S. Viti, quia populus hunc Sanctum monasterii Corveyensis patronum precabatur, ut hujusce morbi sanationem obtineret.

§. 1736. Hujusmodi affectio dividitur in primariam, symptomaticam, secundariam traumaticam, veram, et simulatam. Quoniam simulatu facilis, plures mendici, et improbi eam fingunt ad misericordiam et pietatem movendam, et hinc ad majorem captandam stipem. Nosologi huic affectioni addiderunt cognomina ab hac vel illa dia-

thesi sumpta, a qua habet originem; ideoque inflammatoriam, gastricam, nerveam, verminosam, rheumaticam, et arthriticam appellarunt.

§. 1737. Symptomata choreae S. Viti pro variis caussis, complicationibus, partibus corporis praecipue affectis, varia sunt. Idcirco ea dividam in generalia et particularia, ut haec affectio ex illorum consideratione cum tremore, morbo cereali, epilepsia, et mania minime confundatur. Non semper chorea improviso corripit, sed saepe praecedunt signa prodroma, quae sunt insolita tristitia, solitudinis amor, timor, suspiria, dolor capitis, vertigines, palpitationes cordis, spasmi, contorsio oris, rigor musculorum colli, risus involuntarius, oppressio pectoris, raucedo, crispitudo frontis, nictatio, inflatio ventris, dolores variarum partium, maxime extremitatum inferiorum, in terram lapsus. Haec vero symptomata saepissime non attenduntur; hinc morbus non praevisus aggreditur. Etenim hujusmodi prodroma signa licet non certe futuram choream indicent, nihilominus

aliquem venturum esse morbum ad nervorum systema spectantem ostendunt. Generalia autem et constituentia choreae symptomata sunt gesticulationes, saltationes, convulsiones; tremores crurum, et manuum, unde sine auxilio nec alimenta, nec potiones sumere possunt; praepedita loquela; aeger anhelitus; appetitus vorax; permutatus moralis character; mens aliquantisper laesa; nam aegrotantes sunt tristes, lacrymantes, silentes, timidi, hilares, animosi, iracundi, et ad proprias discindendas vestes proclives. Saepe vero haec mentis alienatio abest; nam habetur recordatio rerum; sed impediri non possunt convulsiones, quibus saevientibus, lacerant vestes. Post paroxysmum remanet ad somnum proclivitas, et fatuitatis species. Si frequentes sunt paroxysmi, depravantur digestiones; augetur virium infirmitas; macies, et pallor superveniunt. Symptomata autem particularia deprehenduntur in partibus praecipue affectis, sive internis, sive externis. Itaque si magis afficiatur caput, crispantur integumenta cranii; frons evadit rugosa; elevantur super-

cilia; palpebrae nictant; oculi incondite moventur; os ad aures deducitur; labia tremunt; facies modo festiva, modo tristis, modo distorta; caput nunc rigidum est, nunc variatim, et in diversas partes jactatur, scilicet anteriores, posteriores, et ad latera. Cum corripiuntur extremitates, aegri hinc inde manus projiciunt; interdum voluntati obediunt, sed imperfecte; interdum manibus eradicant capillos, et ut diximus vestes scindunt; pedes continue movent, saltant, et inordinate incedunt; sed ut plurimum propter trepidationem nervorum facere iter non possunt. Interdum dum viae se committunt, currere coguntur, ut quidam observarunt auctores; ideoque statuit Sauvages peculiarem scelotyrbes speciem, et hanc commemorandam historiam Tom. I. cit. op. pag. 591. scriptam reliquit = Pictor quinquagenarius id habebat singulare, non solum quod inter progrediendum festinare cogeretur, verum etiam quod nec a dextris nec a sinistris iter posset deflectere, nisi cum in repagulum impegisset, tum vero eidem loco inhaerens corpus sensim converte-

bat et iterum properans recta via progrediebatur. ⊨ Non raro autem magis plectitur truncus, qui motibus dissimillimis commovetur, unde sumit varias figuras, et modo opisthotonum, modo emprosthotonum fingit. Si partes internae affligantur, ut plurimum linguae tremor, quae interdum exit ab ore; balbuties; impossibilitas deglutiendi; difficilis respiratio; somnus turbatus advertuntur.

§. 1738. Saepe chorea S. Viti ordinatis paroxysmis componitur, qui intervalla quietis relinquunt; sed interdum, exceptis somni horis, continua est. Adveniunt paroxysmi modo semel in die, modo bis, modo saepius, modo semel in mense. Hi autem subinde dimidiam horam, subinde horam, aut plus minusve perstant. Post paroxysmos non nunquam remanet ad somnum propensio, et quaedam debilitas. Aliquando in paroxysmorum remissione maxima est artuum imbecillitas; et ut plurimum extremitatum inferiorum sequitur paresis; et si moventur aegri, agunntur, et sudant.

§. 1739. Caussa proxima hujusce affectionis fuit hactenus inutiliter quaesita; nam alii eam posuere in irregulari nervorum vibratione; alii in perturbato motu spirituum animalium; alii in musculorum irritatione; alii in debilitate, potissimum nervorum systematis. Solum ergo probabile videtur, quod hujusmodi caussa in aliqua parte sentientis systematis sedem habeat, ut demonstrant particularia symptomata, dum hoc systema turbatur, exagitatur, impellitur, et functiones quae laeduntur. Disponunt ad choream haereditaria constitutio, sexus foemineus, vitae periodus, inter scilicet secundam dentitionem et pubertatem; clima nimis rigidum; corpus gracile, et sensibile; educatio mollis; intensa studia; diathesis scrophulosa, rachitica, verminosa. Excitantes vero caussae sunt animi pathemata; praesertim ira, terror, moeror, amor, ardens libido, perspiratio improviso cohibita; impeditus pedum sudor; alimenta, quae non expedite digeruntur; morsus, et ictus quorundam animalium; vapores metallici; abusus mercurii; difficilis menstruorum cur-

sus. Symptomatica autem chorea producitur a morbis inter se dissimilibus, ut inflammatione cerebri, hydrocephalo; hydrophobia; affectionibus gastricis, verminosis, rheumaticis. Secundaria ut plurimum ab aliqua gignitur metastasi, unde metastatica dicitur; aut a repercussis impetiginibus, ut tinea, scabie, herpete; aut a reliquiis exanthematis miliaris, variolarum; aut ulceribus praepostere exiccatis. Traumatica generatur ab externis laesionibus, maxime nervorum, et tendinum.

§. 1740. Chorea S. Viti diuturnus est morbus, sed raro in vitae discrimen adducit. Non est tamen negligenda, secus in fatuitatem, epilepsiam, apoplexiam, paralysin, et tabem transilit. Modo sanabilis, modo insanabilis est, quod praesertim a caussarum examine deprehenditur. Cum caussae sunt leves post aliquot menses solvitur; cum graves, ut haereditárium vitium, torquentia animi pathemata, est diuturna, et insanabilis. Continua chorea generatim creditur difficilius, quam periodica, curari; sed interdum haec pertinacissima est. Diuturna

et immedicabilis saepe epilepsiae, affectioni hystericae, paralysi conjungitur; sed frequentius fatuitate terminatur. Symptomatica, secundaria, traumatica est plus vel minus gravis, quod a primariis morbis, et ab externis laesionibus deducitur. Si post choream contingat mors, ut plurimum pseudo-membranae circa cerebrum repertae sunt, quae hujusce visceris inflammationes demonstrarunt: interdum in ventriculis cerebri serum abundans: interdum serum in pericardio.

§. 1741. Ad curandam choream S. Viti nec ullam hypothesim sequi, nec alicujus remedii efficaciae fidere debemus. Eam curabat Sydenham sanguinis missionibus, et purgationibus: Gardan, aliique eletricitate: recentiores in omnibus casibus inflammationem cerebri somniantes, sanguinis missionibus temere repetitis, pluribusque deprimentibus substantiis. Animadvertit Sauvages tom. I. op. cit. pag. 591 = Curatio Sydenhamiana quoad phlebotomias et catharses nimium repetitas minime conducit, saltem in pueris et puellis a me observatis,

qui ab his fuissent exhausti. = Curatio itaque ut recta sit, explorandae sunt caussae. Convenit venae sectio ubi non desiderantur signa hypersthenicae diatheseos; aeger est robustus, et ad pubertatem accedens; morbus est recens. Aperiatur etiam jugularis vena, si occasionalis caussa sistat in cerebro. Post generales autem sanguinis missiones admoveri possunt hirudines capiti, collo, vertebris, regioni epigastricae, venis haemorrhoidalibus. Praeterea alvus est mollienda, et emulsiones seminum melonum cum nitro exhibeantur. Si vero signa diathesim hyposthenicam aperiunt, excitantia et tonica conferunt, ut cortex peruvianus; valeriana sylvestris; flores cardamines; camphora; liquor anodynus mineralis Hoffmanni; oleum animale Dippelii; assa foetida; frictiones super dorsum cum linimento aromatico; balnea frigida, martialia; forsan electricitas. Cum vero inter caussas est nimia nervorum sensibilitas, plura utilia esse possunt, ut ferrum; hydrargyrus; atropa bella donna; hyoscyamus; flores zinci; flores cardamines; cuprum ammoniacale, cu-

jus dosis est sexta vel quarta pars grani bis de die; herba chenopodii ambrosioidis; interdum nitras argenti. Hisce vero in casibus inter omnia praestant flores zinci, et balnea tepida. Aestate anni 1841. visebam adolescentem nimia sensibilitate praeditum, et etiam scrophulosa diathesi laborantem, qui ingentis et inopinati terroris caussa correptus fuit chorea S. Viti, in quam a peritissimo medico per spatium duorum vel trium mensium efficaciora remedia nequicquam fuerunt adhibita. In consilium vocatus proposui balnea tepida ad gradum vigesimum octavuum thermometri Reaumuri; et eodem tempore flores zinci a grano uno quotidie ad grana duo. Hoc simplici modo post viginti dies adolescens perfecte convaluit. Si vero chorea est symptomatica, vel secundaria, varia quidem est curatio. Etenim si proveniat ab affectione gastrica, vel a vermibus, purgantia et anthelminthica dentur, et repetantur: si a diathesi rheumatica, instituantur sanguinis missiones generales vel locales; remedia sint leviter diaphoretica, ut infusum florum sambuci, aut

tiliae; vesicantia, setacea, linimenta: si a retrocessione morborum cutaneorum, epispastica, vesicantia, cucurbitulae siccae; fonticuli; medicamenta diaphoretica: si a metastasi, parum distat curatio, siquidem fere eadem auxilia sunt.

SPECIES SEXTA

Crampus

§. 1742. Crampus est fugax, spasmotica, et dolorem creans unius vel plurium musculorum contractio, quae saepe post breve temporis intervallum repetit, diffugitque. Fuit ab auctoribus spasmus flatulentus, aut physodes appellatus, quia olim a flatibus oriri credebatur. Partes saepius crampo laborantes, pedes sunt et crura. Ciet crampus brevem sed atrocissimum dolorem; nam musculi extensores et flexores vehementissime afficiuntur; unde crura tenduntur, aut contrahuntur. Interdum vero alias percellit partes, ut manus, collum, pectus, guttur.

§. 1743. Dividitur crampus in primarium, et symptomaticum. Ille in perfectissima etiam valetudine contingere solet, praesertim ubi temperamentum sensibile est; hic nascitur ab aliquo praesenti morbo, maxime ab aliis nervosis affectionibus. Est crampus in cholera symptoma frequens, quod maxime affligit crura cum acerbissimo dolore, tensione tibiarum. Non raro etiam crampus illos invadit, qui lue venerea, vel scorbuto confliguntur.

§. 1744. Caussa proxima crampi est spasmotica musculorum constrictio. Huic abnoxiae magis sunt mulieres; praecipue utero gerentes; homines etiam aut plethorici, aut graciles, aut sensibiles, parumque actionem frigoris tolerantes, aut nimium doctrinarum studiosi, quique meditationibus plures horas conterunt. Caussae vero quae frequentius excitant crampum sunt nocturnum frigus, praesertim si acriter in aliquam partem agat, unde non rarus est ille colli; vitiosa partium positio, unde musculi distrahuntur; non innocens humorum indoles, unde musculi, horumque

involucra irritantur; etiam ingens sanguinis quantitas.

§. 1745. Quamvis crampus ut plurimum artis auxilio non eget, nihilominus quia interdum est molestissimus, praesertim in mulieribus foetum gerentibus, remediis placandus est. Si crampus extremitates apprehendat, immitis est, sed nullum affert discrimen; sed si pectus, convulsio est brevis, et atrocissima, quae animae interclusionem minitatur; si guttur, etiam in periculum mittit.

§. 1746. Quamvis crampi curatio plerumque absolvitur levibus frictionibus, aliquo linimento, fuga frigoris, et pannis laneis tegendo partes, quae a crampo corripi solent, tamen etiam in hac levi affectione inquirendae sunt caussae, ne gravis, aut pertinax evadat. Igitur si crampus eveniat in hominibus plethoricis, in quibus non alia esse potest caussa, quam plethora, venae sectio, et diluentia utilia sunt: si in caussa sit aliquod humorum vitium, edulcorantia, diaphoretica, balnea tepida, fonticuli, vesicantia. Si vero est symptomati-

cus, curandus est primarius morbus; sed magni interest crampi molestias lenire, ut in cholera, ubi praecipuis praemissis remediis, cum aqua pulli laudanum liquidum Sydenhami exhibendum est.

SPECIES SEPTIMA

Tetanus.

§. 1747. Tetanus, τέτανος, Celsi rigor, est spasmotica rigiditas, musculorumque immobilitas, saepe motibus convulsivis interpolata, remanentibus ut plurimum omnibus intactis sensibus. Hic morbus variatim dividitur, sed in primis in universalem et partialem. In illo contrahuntur musculi antagonistae totius corporis, et homines immobiles, sicut statuae, manent; in altero aliqua tantum pars ab hac involuntaria rigiditate deprehenditur, unde habet diversa nomina. Dicitur trismus, cum morbus ad inferiorem maxillam circumscribitur, unde impeditur oris apertura: emprostho-

tonos, si corpus ad anteriora flectatur: opisthotonos, si ad posteriora: pleurosthotonos, aut lateralis tetanus, si ad latus. Contingit emprosthotonos, cum rigent musculi, qui ad anteriora corpus flectunt. Caput ad partes anteriores convertunt musculi sterno-mastoideus, cleido-mastoideus, rectus anticus minor: collum longus colli: spinam spsoas parvus: femur psoas major, et iliacus internus. Producitur autem opisthotonos cum musculi rigent, qui ad posteriora flectere possunt corpus, instar arcus. Retrorsum convertunt caput splenius capitis, biventer cervicis, complexus, tracheo-mastoideus, obliquus superior, rectus posticus minor: collum tria paria, splenius colli, spinalis cervicis, interspinalis cervicis: spinam sacro-lumbaris, seu lumbo-costalis, multifidus spinae, longissimus dorsi, spinalis dorsi, interspinales lumborum. Tetanus lateralis evenit, cum musculi rigescunt, qui corpus ad latus curvant. Caput ita flectitur a recto laterali: collum ab intercostalibus prioribus, et posterioribus, a scaleno quadruplici, antico, postico, tertio, et

quarto: spina a quadrato lumborum, ab intercostalibus dorsi, et lumborum.

§. 1748. Aut universalis, vel partialis sit tetanus, in primarium, symptomaticum, secundarium, et traumaticum distribuitur. Tetanus universalis olim distinguebatur in exquisitum, et non exquisitum. Ille repente et prompte adoritur, hic lente et pedetentim. Igitur ille est subitaneus, brevis, acutissimus; hic successivus, et habitualis. Recentiores vero qui non admittunt nisi duas diatheses, tetanum tribuunt in hypersthenicum, et hyposthenicum; qui plures diatheses, eum appellant rheumaticum, arthriticum, syphiliticum, gastricum, verminosum, hystericum, etc.

§. 1749. Hippocrates variis locis loquitur de tetano, cujus tres statuit species lib. de diebus judicatoriis V., et de internis affectibus LIX. Aretaeus de caus. et sign. acutor. morb. accurate descripsit tetanum. Hujusmodi morbus interdum extemplo invadit, interdum gradatim, et a prodromis nuntiatur. Qui cum Aretaeo inquiunt corripere tetanum sine prodromis, haec accipiunt pro

constituentibus morbi signis. Aliquando vero non desunt prodroma, quae praecipua sunt gravis capitis dolor; vertigo; sensus formicationis ad frontem; lenis rigiditas ad collum, quae crescit, redditque capitis motus difficiles; cardialgia; tremores; oculi caligantes; molestus sensus ad linguae basim, et deglutiendi difficultas; animi deliquium; constrictio ad pectus, et abdomen; maxillarum rigiditas, ut aperiri non possit os; importuna sensatio ad scrobiculum cordis, et sub cartilagine ensiformi; musculi flexores et extensores extremitatum inferiorum constrictionibus spasmoticis corripiuntur. Hisce progredientibus symptomatibus constituitur tetanus, siquidem omnia percelluntur motuum voluntariorum organa; oculi fiunt immobiles, truces, excavati, aut protrusi; susurrant aures; vox editur rauca, murmurans; mutantur vultus lineamenta; deglutitio ipsius salivae impeditur; mens plerumque remanet integra; patiuntur partes et organa fibris muscularibus composita, ideoque turbantur functiones cordis, diaphragmatis, intestinorum, vesicae uri-

nariae; musculi faciei contrahuntur, unde motus incongrui, et horribiles; rigescit penis, et praeter voluntatem emittitur semen; pulsus est maxime varius, nempe parvus, lentus, debilis, depressus, concitatus, durus, naturalis; respiratio anxia, difficilis, celerior; cor palpitat; molestat vigilia; facies modo pallida, modo rubra, modo livida, modo naturalis; alvus clausa; urinae nunc suppressae, nunc fluentes, unde scripsit Aretaeus = Ego sane vidi et miratus fui, lotium suppressum usque ad insignem mejendi difficultatem, aut sponte effundi, cum vesica premeretur = Hujusmodi symptomata saepissime ampliora fiunt, erumpit frigidus sudor, properatque mors. Igitur tetanus est ut plurimum morbus sine febre, et ubi febris superveniat, ille saepe solvitur. Ita sensus fere manent; sed in gravissimis casibus perduntur. Dolor etiam crebro illas partes torquet, quae capiuntur spasmo. Generatim hujus morbi symptomata exacerbantur, et placantur; huc et illuc sensus pruritus percipitur; dolores affligunt lancinantes; deinde manat sudor u-

niversalis, et calidus; tandem accedit convalescentiae tempus. Si vero morbus in pejus progrediatur, et nihil utilitatis afferant remedia; erumpat frigidus sudor; dirae assultent convulsiones; consequitur mors. Dici igitur potest quod significatioribus vocibus dixit Aretaeus = Inhumana calamitas, injucundus aspectus, triste intuenti spectaculum, et malum insanabile. = In universum hujus morbi cursus ad quinque vel sex dies extenditur; sed interdum ad plures hebdomadas, et etiam ad plures menses. Si igitur tetanus in rigiditate membrorum consistit, quisque videt, hunc a catalepsi, et paralysi differre, in quibus affectionibus flecti possunt membra, quae non rigent, sicut in tetano. Tetanus symptomaticus cognoscitur a morbis vel acutis, vel chronicis, a quibus proficiscitur: secundarius ab exiccatione ulcerum, a retrocessione exanthematum, et impetiginum: traumaticus, ab externis laesionibus, a quibus varia pro earum specie induci possunt symptomata. Optima est descriptio tetani a vulnere provenientis, quam lib. de internis

affect. LIX. Hippocr. tradidit. = Si ob vulnus tetanus sive distensio fiat, aeger haec patitur. Maxillae conglutinantur et rigent, et os aperire non potest: et oculi lacrymantur et contrahuntur, et dorsum conglutinatum riget, et crura flectere nequit, neque manus, neque spinam. Quum autem lethalis fuerit, potum et cibos quos prius accepit, aliquando per nares reddit.

§. 1750. Videtur caussa proxima tetani talis esse nervorum irritatio, ut inde adveniat musculorum contractio, quae non desistit, nisi haec ipsa desistat irritatio; aut donec exhausta nervorum sensibilitas, musculorumque contractilitas, prompte sequatur mors. Ab hodiernis systematicis, et furentibus phlogoseos propugnatoribus falso creditur, hujusmodi caussa esse ramorum arteriosorum inflammatio; nam hujus indicia sectione cadaverum rarissime deprehenduntur. Disponunt autem ad tetanum quae nervosi systematis atoniam afferunt, ex qua ingens et exquisita sensibilitas, et musculorum potentia sublata sequitur, ut aër nimis frigidus, aut nimis calidus, maritimus,

corruptus; prava corporis nutritio; procacissima venus; quaedam animi pathemata; sexus muliebris; aetas puerilis, et senilis. Tetanus ergo ob Caeli intemperantiam apud populos calidissimarum, vel frigidissimarum regionum familiaris est. Hujus vero morbi occasionales caussae sunt frigus asperrimum; transitus ex loco calido in frigidum; obdormiscere sub Iove, et in loco humido, aut super madidum solum; suppressio alicujus exinanitionis sanguineae, aut jactura nimia sanguinis, praesertim in puerperis; vehementes animi motus, ut terror, et ira; esus fungorum venenosorum; morsus animalium rabidorum, et veneniferorum; plura venena. Apud pueros caussae occasionales frequentiores sunt retentum meconium, vermes, gastricae impuritates, dentitio, pavores. Tetanus autem symptomaticus, et secundarius oritur a pluribus morbis: traumaticus ab externis laesionibus, ut vulneribus frontis, faciei, oculorum, dorsi, diaphragmatis, umbilici, calcanei, omniumque partium, quae nervosae, tendinosae, aponeuroticae sunt, praesertim sub calidissimo

climatae; plures operationes chirurgicae, ut amputatio, castratio, incisio pedis gangraenosi; colli contorsiones, contusiones, luxationes, fracturae; ichor, sanies, pus retentum in exiccatis vulneribus, aut quae cito cicatrice teguntur.

§. 1751. Sedes tetani primarii est cerebrum, et saepius etiam spinalis medulla, ut ab observatione cadaverum deducitur; quamvis crebro nec in cerebro, nec in aliis organis aliquid morbosi reperiatur. Interdum inveniuntur vasa cerebri, et meningum sanguine turgida, et interdum illa spinalis medullae; multus aqueus humor in anfractibus cerebri, hujus ventriculis, et in specu verterbrali; vermes in intestinis. Sauvages Tom. I. op. cit. pag. 544. hanc memorabilem narrat historiam = Adolescens Indicus niger per intervalla convulsivos motus experiebatur cum colica; demum incidit in tetanum Indis familiarem; artuum rigiditas erat convulsivis motibus interpolata, decima die aeger occubuit. Aperto cadavere nil vidi laesum in cerebro, in intestinis erant glomeres lumbricorum, quorum quipiam co-

lum perforabant, et foramen obturabant. = Interdum exterior superficies cadaverum spargitur ecchymomatibus; et musculi tument, et livent. Subinde sanguis invenitur nimis fluidus, minimeque coactus, quod demonstrat, sub universali spasmo systema arteriosum admodum fuisse affectum.

§. 1752. Tetanus est plerumque exitialis morbus, et cito cursum explens. Non confirmatur sententia Hippocratis, quae in aphor. 6. Sec. V. sic se habet = Qui a tetano corripiuntur intra quatuor dies pereunt, si vero hos effugerint sani fiunt = Hanc eandem sententiam pronuntiavit Celsus lib. 4. Cap. 2. de Medic. Alio vero loco Hippocr. dixit, longiorem esse morbi finem. Auctorum etiam observationes testantur, aliquando tetanum extensum fuisse ad viginti et triginta dies, quin aegri letho essent adempti. Dubitandum vero est, an veri fuissent tetani, ut vol. 6. pag. 32. sic animadvertit Burserius = verum complures historiae tetanorum occurrunt, qui rheumaticae, atque arthriticae affectiones verius erant, quam tetani. = Ut autem hujusce morbi exitus

praenoscatur, ad examen revocanda est aetas, sexus, caussae, symptomata. Pueri frequenter in tetanum incidunt, sed non tam facile pereunt; juvenes rarius illo laborant, sed crebrius moriuntur; senes et saepe prehenduntur tetano, et saepe vitam deserunt. Frequentius hominibus hoc morbo tentantur mulieres, sed etiam frequentius liberantur. Quoad caussas inquit Hippocr. aphor. 13. Sect. VII. = Ab ardoribus vehementibus convulsio, vel tetanus malum. = Cum tetanus excitatur a frigore, opportuna curatione faustum habere potest exitum, sed diu remanet depressio virium, a qua non sine negotio aegri recolliguntur. Tetanus, qui provenit ab abortu, alea plenus est, ut et ille, qui puerperas adoritur. Si nascitur a vulneribus, ictibus, puncturis, lacerationibus ut plurimum lethalis est. Tandem symptomata aut bona sunt, aut mala. Bonum quidem est, si distorsiones, dolores, et omnia pathemata comprimantur; si quidam insurgant naturae motus. Aliquando enim utiliter expergiscitur febris, ut ita asserit Hippocr. aph. 17. sect. IV. = Convul-

sio vel tetanus, si febris accedat solvitur = Id vero non semper succedit, siquidem nonnunquam explicatur febris, nihilo tamen secius morbus mortem affert. Praeterea nonnullae contingunt separationes utiles, ut spontanea, et copiosa salivatio, urina deponens sedimentum arenosum, album, crassum; nam hisce saepe evidens contingit symptomatum levamen. Infausta autem symptomata sunt contractiones frequentes et violentae; extrema frigida; dolores implacabiles; suspiria; mussitatio; oppressio pectoris; anxia respiratio; potiones, et sorbitiones per nares exilientes. Hippocr. in 3. lib. de morbis XIII. inquit = Ubi moriturus est, et potum, et sorbitionem per nares revomit. Hic tertia die, aut quinta, aut septima, aut decima quarta perit. Ubi vero has effugerit sanus evadit. = Si nonnulli quamvis gravissima fuerint symptomata ad salutem restituuntur, lento gradu ad convalescentiam perveniunt. Interdum enim per plures menses decumbere coguntur; nam propter musculorum impotentiam, totiusque corporis debilitatem erigi nequeunt.

§. 1753. Si tetanus ille est, quem veteres dicebant a diathesi inflammatoria sanguinis oriri, et recentiores ab hypersthenica diathesi, apta est methodus antiphlogistica, scilicet sanguinis missiones, applicatio hirudinum et cucurbitularum scarificatarum dorso, aut nuchae: balneum aquae tepidae, aut olei ; fomentationes, et unctiones emollientes, et relaxantes; clysmata, et aliquod eccoproticum ; prudens digitalis purpureae usus. Si vero tetanus originem habet ab opposita diathesi, nempe hyposthenica, curatio esse debet stimulans; sed incipiendum est ab exiguis, et minoribus stimulis, et deinde sensim sensimque ad majora, et efficaciora transeundum. Remedia quae adhiberi solent sunt camphora, opium, castoreum, moschus, cortex peruvianus, radix valerianae sylvestris, aether sulphuricus, assa foetida , qua saepe parantur clysteres. Inter vero remedia, quae hisce temporibus tentantur est alchali fixum vegetabile, et opium secundum methodum, quam proposuit Stutz. Haec consistit in interno et alterno usu alchali vegetabilis, et opii, et in balneis ca-

lidis, quae fiunt aqua potassa satura, cui etiam immiscentur aliquot guttae aquae calcis. Hinc solvatur drachma subcarbonatis potassae in septemdecim unciis aquae destillatae: sic in totidem unciis aquae destillatae grana octo opii solvantur. Sumpta solutione alchalina, sumatur solutio composita ex opio; eodemque tempore fiunt balnea alchalina. Pro quovis autem balneo ab una usque ad sex uncias lixivium causticum adhibetur. Haec vero methodus, quae a quibusdam laudatur, ab aliis maxime vituperatur, quamvis Humboltii experimentis innixa, quibus demonstratur, potassam irritabilitatem jam semiextinctam fibrarum muscularium concitare, eamque ad novorum stimulorum actionem persentiendam disponere. Auxilia autem externa sunt balnea tepida, et sub convulsionis paroxysmo etiam frigida. Frigus enim impertit vigorem; ideoque nimiam nervorum sensibilitatem corrigit, sanguinis fervorem temperat, dummodo satis subsit roboris, corporis habitus carnosus, et anni calida tempestas, ne aeger ab eo patiatur incommoda. Etiam frictiones

cum oleo, aut unguento hydrargyri; electricitas; galvanismus. Ubi deglutitio impossibilis est, in anum injiciatur nutrimentum. Quicunque autem sit tetanus, optima sunt Aretaei consilia, qui Cap. IV. lib. I. cit. op. inquit = In praesentia lectum mollem, tractabilem, levem, suavem, calidumque esse necesse est; nervos enim inflexibiles, duros, rigentesque morbus efficit: quin etiam cutis tota squallens asperaque corpori obtenta est: palpebrae natura versatiles vix oculos connivendo protegunt: oculi intenti sunt in profundo convoluti: nec non artus sunt deligati, ob distensionem immobiles. Aegroti domicilium calidum esto, si aestas sit, citra sudorem, aut resolutionem: ad syncopam enim morbus inclinat. Neque vero ad alia magna remedia cunctanter accedendum: haud enim ad differendum datur occasio. = Si tetanus sit symptomaticus, et a diathesi rheumatica nascatur, in initio antiphlogistica sit methodus; mox balneis tepidis, fomentationibus calidis obsecundanda est perspiratio; tandem vesicantia, sinapismata, unctiones, frictiones mercuriales: si a lue ve-

nerea, praesentissimum remedium mercurius est: si a vermibus, purgantia, et anthelminthica, et clysteres vario modo cum anthelminthicis parati; si ab affectione hysterica, secundum symptomata morbique varietatem deligenda sunt auxilia. Refert Sauvages Tom. I. op. cit. pag. 545. mulierem aestate tetano deprehensam hysterico a balneis tepidis detrimentum traxisse; ex adverso magnam utilitatem a balneis frigidis, siquidem hisce restitutae fuerunt vires, et paroxysmi imminuti. Praeterea in hac eadem aegra super omnia juvisse asserit tria grana moschi cum nitri pauxillo, dum in aliis hystericis hujusmodi remedium tolerari non potest. Si tandem tetanus sit traumaticus, interdum juvat apertura vulnerum, ut libere exeat pus; aut ferro dividere tendines aut nervos in parte dissectos. Saepe in amputationibus, et fracturis interius et exterius cortex peruvianus sub decocti forma convenit. Cum in vulneribus excitari debeat aliqua inflammatio, ut evitentur convulsiones, adhibeantur localiter nonnulla irritantia, ut est balsamum peruvianum, aut

oleum terebinthinae; cum vires semper extenuentur, arnica, china china, camphora, vinum, opium succurrunt. Cum autem occludatur et ita stringatur os, ut medicamenta et alimenta dari nequeant; etiam deperdita sit deglutiendi facultas, opium, et alia pharmaca, et jura introduci possunt per clysteres. Admoveri etiam possunt externa remedia, ut opium, castoreum cum axungia, ut fiant unctiones; plura extracta, ut illa cicutae, belladonnae cum unguento seminum frigidorum, etc.

GENUS DUODECIMUM

Laesio facultatum intellectualium sine delirio.

§. 1754. In homine perfecte sano ut constans, facile, jucundum est functionum corporis exercitium, sic suis facultatibus agit intellectus. Interdum vero, quamvis caeteroquin sano, imminuitur, vel amittitur memoria aut imaginatio, quin ulla inde compareat

mentis alienatio. Ubi enim imminuitur memoria, facile perceptae ideae recognosci non possunt, tardum erit de rebus judicium, sed tandem promitur; ubi omnino perditur, nec promptum, nec tutum est judicium; nihilominus non proferuntur incongrua, nec subsunt signa depravatae imaginationis. Sic si debilitetur imaginatio, non possunt ideae expedite disponi, conjungi, ad voluntatem creari, componi, effingi, distrahi, dissolvi; sed tandem hujusmodi idearum dispositio, conjunctio, dissolutio obtinetur; ubi vero imaginatio penitus deperditur, non in ordinem redigi potest ratiocinium; tamen nullus est furor, nulla mentis aberratio. Ergo imminutio, et abolitio memoriae, et imaginationis sunt morbi, quia homo perfecte sanus gaudet functionibus corporis, et intellectus; sed ad vesanias non pertinent. Qui carent memoria speciem habent imbecillitatis, quia in audiendis narrationibus saepe stupent; qui vero imaginatione orbantur saepe puerascunt, quia dicunt, vel scribunt, quae audiunt aut legunt sine ulla ratiocinatione.

SPECIES PRIMA

Laesio memoriae.

§. 1755. Laesio memoriae, quae dicitur amnesia, latine oblivio, est imminuta, aut deperdita facultas perceptas ideas reproducendi, et recognoscendi. Inquit Aristoteles lib. de memoria et reminiscentia, memoriam esse iteratam resumptionem alicujus apprehensi, vel sensu, vel intellectu. Historia ut nobis offert exempla hominum memoria monstruosa praeditorum, sic aliorum hac facultate omnino carentium. Sunt qui vix rerum imagines receperunt, has obliviscuntur; alii recordantur rerum nullius momenti, et memoriam illarum magni ponderis amittunt; alii oblivisci incipiunt nomina et essentias rerum, ut evenit in hominibus aetate gravibus; alii nec nomina, nec essentiam rerum recordantur, et tum amnesia absoluta, et perfecta est.

§. 1756. Dividitur amnesia in primariam, symptomaticam, secundariam, trauma-

ticam, perfectam, et imperfectam. Cum enim in imminuta tantum memoria consistat, est imperfecta; perfecta si prorsus illa sit deleta. Nosologi autem plura nomina dederunt amnesiae secundum speciales caussas, et hinc dicta fuit amnesia plethorica, senilis, a venere, a temulentia, ab animi pathemate etc.

§. 1757. Multae fuerunt ad amnesiae caussam proximam exponendam hypotheses. Etenim alii hanc in caloris defectu posuere; alii in cerebri siccitate; alii in oppositis conditionibus, scilicet in nimio calore, et nimia cerebri humiditate; alii in defectu flexibilitatis fibrarum hujus visceris medullarium. Dixerat Hippocrates lib. de structura hominis III. = Reminisci autem, et esse prudentia praeditum, ex cerebro, inter calidum frigidumque admodum temperato provenit. Oblivio vero cerebri frigiditate procedit. = Probabile vero videtur, laesionem memoriae vel a cerebri debilitate, vel ab immodico ejus fibrarum, vasorumque erethismo pendere, ut opposita caussarum remotarum indoles de-

monstrat. Ad hunc morbum accommodat haereditaria dispositio; vita iners, sedentaria, a negotiis feriata, aetas ad senectutem vergens. Caussae vero excitantes sunt ipsa senilis aetas; prava cranii conformatio; venena, potissimum narcotica; animi deprimentia pathemata, maxime timor, et terror; studia nimium protracta; profundae et diutinae meditationes; mastrupatio; abusus veneris, vini, spiritum; suppressio consuetarum haemorrhagiarum, ut haemorrhoidum, lochiorum, narium. Amnesia autem symptomatica, aut secundaria a vitiis abdominis; vehementibus capitis doloribus; epilepsia; apoplexia; hydrocephalo; febribus proficiscitur. Traumatica saepe provenit ab externis laesionibus, ut sunt capitis vulnera, percussiones, ictus, lapsus.

§. 1758. Laesio memoriae ab haereditario vitio, senectute, mala capitis conformatione orta insanabilis est: illa ab animi affectionibus, interdum quiete, aut contrariis pathematibus submittitur; interdum amissa memoria non reparatur, praesertim si caussa fuerit subitaneus timor: illa ab

abusu vini, et spirituum vincitur, si amoveatur caussa, dummodo nullam morbosam conditionem contraxerit cerebrum. Observavi juvenem mastrupationis vitio perfluentem extemplo memoriae jacturam fecisse, quam deinde recuperare non potuit, quamvis ab infando crimine descivisset. Est incurabilis amnesia ab inveterata epilepsia, et apoplexia, ut etiam ab atrocibus assiduisque capitis doloribus. Amnesia traumatica modo sanabilis, modo minus. Plinius lib. 7. cap. 24. inquit, quendam ex praealto tecto lapsum, matris, affinium, et propinquorum oblitum. Saepe memoria perditur, nec recuperatur, quin caussae pateant hujusce jacturae. Tum illorum morbosae dispositiones investigentur, in quibus haec jactura contingit. Etenim interdum esse potest imminentis epilepsiae, aut apoplexiae indicium. Non raro priusquam horum morborum accessus impetant, obscuratur intellectus, penitusque memoria aboletur.

§. 1759. Turpe esset amuletis, specificis, absurdis, substantiisque immodice calidis, et irritantibus amnesiam curare, sicut

olim fieri solebat; sed perquirendae sunt morbi caussae, aegrorumque aetas. In universum dici potest, senibus, debilibus, studiis, et affligentibus pathematibus maxime debilitatis cephalica prodesse, ut nux moscata, piper, thea, cocolata, diluta salviae, roris marini, etc: contra juvenibus, robustis, plethoricis, laboriosis, largioribus cibis nutritis, aliqua consueta haemorrhagia destitutis, non interrupta animi quiete gaudentibus, juvare sanguinis missiones generales et locales, diluentia et refrigerantia, ut sunt infusiones herbarum nitrum continentium, ut est cerinthe major, transactis temporibus maxime commendata; insuper eccoprotica, praecipue cremor tartari, clysteres etiam aquae simplicis tepidae, balnea tepida, quae post sanguinis missionem insensibilem perspirationem excitant, et caput sublevant. Remedia autem, aptumque diaetae regimen secundum amnesiae caussas differt. Si ex. gr. laesio memoriae proveniat ab abusu veneris, ut saepe evenit, hac relicta intemperantia, necesse est, ut rusticatione, praesertim amoeno ruri, salu-

brique aëre perflato, usu confectionum, et eupeptis alimentis corroborentur vires, eodemque tempore memoria. Quaecunque autem sit amnesia, amovendae sunt caussae, et exacte observandum diaetae regimen, scilicet exercitatio corporis conveniens in aëre puro, libero, montano: etiam exercitatio memoriae, quae consistat in enarrandis aliorum sermonibus, et quod in libris legitur, et in aliquid componendo sine librorum adjumento: delectus ciborum, qui modo ex animali, modo ex vegetabili regno sumi debent: moderatus somnus: mites animi affectus: tandem saepe capillos pectere.

SPECIES SECUNDA

Laesio imaginationis.

§. 1760. Imaginatio ut memoria vel imminuitur, vel perditur. Ut plures sunt homines, qui foecunda, fervidaque gaudent imaginatione, sicut poetae et pictores; sic alii sunt, qui ea prorsus orbantur. Poetae

possunt carminibus omne affectuum genus animis commovere, ipsisque fabulis ab oculis tyrannorum lacrymas educere. Horatius hanc poetarum vim operibus comparat funambulorum, et magorum, dum inquit „

Ille per extentum funem mihi posse videtur
Ire poeta, meum qui pectus inaniter angit,
Irritat, mulcet, falsis terroribus implet,
Ut magus: et modo me Thebis, modo ponit Athenis. „

Qui vero imaginationis flamma non accenduntur, nec sermonibus nec scriptis, nec operibus ullam vividam exerunt ingenii vim. Hujusmodi homines non solum conjungere, et resolvere perceptas ideas, novasque effingere non possunt, sed etiam praeclara alienae imaginationis edita non sentiunt. Plures vidi, et si non omnino indoctos, oscitari, cum divina carmina recitarentur, quae frigidiora pectora concuterent. Hi tanquam pueri sola fere memoria donantur.

§. 1761. Imaginationis laesio ut illa memoriae in primariam, symptomaticam, secundariam, traumaticam, perfectam, et imperfectam dividenda est. Primaria sae-

pe est congenita, aut provecta aetate producitur; interdum ab aliis caussis: symptomatica et secundaria non raro a gravissimis morbis oritur, ut ab epilepsia, et apoplexia; aut a morbis chronicis, qui maximam debilitatem, et moerorem inducunt, ut a lue venerea, scorbuto, lepra. Traumatica nascitur ab externis capitis violentiis; quamvis aliquando et ab ictibus, et a vulneribus comparata fuit illa mentis vis, quae prius nulla erat, aut torpens.

§. 1762. Proximam caussam imaginationis laesae statuere, impossibile quidem est; sed si respiciatur indoles caussarum remotarum, et modus, quo interdum recuperatur phantasia, aliqua probabilitate dicemus, illam a quodam fibrarum cerebralium torpore pendere. Ad hunc enim defectum temperamenta laxa et pituitosa, vita iners et desidiosa, ingenii incultus disponunt. Eundem vero excitant clima, aër, educatio, animi pathemata deprimentia, infortunia, nimis culta venus, mastrupatio. Populi qui vivunt sub temperato et ridenti climate, et salubrem aërem respirant alacri imaginatio-

ne fruuntur; contra sub triste et aspero climate, crassoque aëre. Si talis autem est socordia et ingenii incultus, ut nec sermonibus, nec librorum lectura, nec exemplis excitetur imaginatio, haec torpescit, et deperditur. Idem fere evenit aliarum expositarum caussarum actione.

§. 1763. Phantasiae laesio congenita ut plurimum insanabilis est; licet interdum, aliqua accendente infirmitate, haec compressa facultas excitetur. Si vero deficiat imaginatio propter nimis provectam aetatem, pravam capitis conformationem, ipsiusque laesionibus, recuperari non potest. Reparabilis est cum ejus defectus proficiscitur a caussis, quae possunt amoveri, ut animi pathemata, abusus veneris, mastrupatio. Sublata imaginatio ab epilepsia et apoplexia non restituitur; a scorbuto vero et a lue venerea, si hi morbi sanabiles sint, revertitur.

§. 1764. Quamvis a pluribus caussis laedatur imaginatio, tamen, quia hae debilitantes sunt, in universum dici potest, methodum excitantem expedire. Nemo ignorat,

vino, liquoribus spirituosis, coffoea, alimentis aromatibus conditis imaginationem excitari. Poetae vinum bibunt, ut fundant carmina, et alios ad bibendnm invitant. Horatius lib. III. od. XXVIII. festo Neptuni suadet Lyden reconditum promere Coecubum, ut invicem cantent Neptunum, et virides Nereidum comas. Sic alii scribere, et elucubrare non possunt, nisi prius coffoeae potionem sumant; alii nisi tabacum in pulverem contusum totis naribus identidem attrahant. Praeterea ad vivificandam torpentem imaginationem maxime prodest mutatio climatis, itinera, meliora alimenta, vita felix.

GENUS DECIMUMTERTIUM

Laesio facultatum intellectualium cum delirio

§. 1765. Facultatum intellectualium aberratio, unde perditur judicium, graece dicitur *παραψροσύνη*, *μανία* latine delirium,

vesania, desipientia. Vesania est generica vox, quae comprehendit omnem delirii speciem. Dum facultates intellectuales aberrant non omnes recte communicantur cerebro impressiones a sensuum externorum organis receptae, et ideo non excitantur imagines objectis, quae illas impressiones induxerunt, respondentes; idcirco nec ideae possunt comparari; nec voluntas jubere; nec rectum rerum fieri potest judicium: dum in statu sano etiam sine objectorum praesentia possumus ad voluntatem memoriae auxilio ideas illis respondentes revocare; et possumus imaginationis auxilio novas ideas effingere, et illas jam perceptas componere et dissolvere; et per ratiocinationem ideas conferre, et hinc earum similitudinem vel dissimilitudinem deducere, et judicium statuere. Opus igitur perceptionis, idearum formationis, ratiocinii, et judicii proprium est hominum sanae mentis, in quibus hallucinationes non contingunt dementiae propriae.

§. 1766. Dementia, quaevis sit ejus species et varietas, est primaria, sympto-

matica, secundaria, congenita, haereditaria, continua, intermittens, acuta, chronica. Quidam considerant dementiam ut chronicum morbum; sed saepe intra paucos dies perfecte evanescit, ut est delirium, quod nascitur ab aliquo vehementi pathemate, sicut ab excandescenti ira. Dementiae autem species vario modo dividuntur, et appellantur. Hippocrates divisit dementiam in maniam, et melancholiam. Ab hac divisione parum recessit Galenus, qui vocat phrenitidem delirium cum febre; illud sine febre et cum furore maniam; aliud cum timore et tristitia melancholiam. Deinde Aretaeus appellavit melancholicos, quorum dementia super unum objectum versatur. Per longum tempus Hippocratis divisio viguit in scholis. Postea plures doctissimi viri crediderunt, maniam et melancholiam esse eundem morbum, tantum quoad gradum dissimilem. In hac sententia fuerunt Willisius, et Morgagnius, qui de sed. et caus. morbor. Epist. 8. pag. 74. inquit = melancholiae autem mania, ut Willisii utar verbis, in tantum affinis est, ut hi affectus saepe vices commu-

tent, et alteruter in alterum transeat, quin saepius dubitantes medicos rideas, hinc taciturnitate, et metu, hinc loquacitate et audacia in eodem aegro subinde alternatis, melancholicum an maniacum pronuncient. = Ait Boerhaavius de cognoscend. et curand. morbis Tom. V. pag. 233. = Si melancholia eo usque increscit, ut tanta accedat agitatio liquidi cerebrosi, qua in furorem agantur saevum, mania vocatur. Quae gradu modo differt a melancholia tristi, hujus proles est, ex iisdem caussis oritur, iisdem fere remediis curari solet. = Eodem modo alii plures arbitrati sunt; sed haec opinio accipienda non est. Quamvis enim melancholia transeat in maniam, et viceversa, tamen hujusmodi vesaniae sunt oppositae indolis. Idcirco Brown adnumeravit maniam inter morbos sthenicos, et melancholiam inter asthenicos. Recentiores autem rejecta opinione Willisii, Morgagnii, Boerhaavii, Cullenii, aliorumque, alias instituerunt divisiones. Pinel divisit insaniam in maniam, aut delirium universale; in melancholiam, aut delirium partiale; in dementiam, aut

abolitionem facultatis cogitandi; in idiotismum, aut obliterationem facultatum intellectualium. Ab hac divisione parum distat illa, quam constituit Esquirol; nam appellat monomaniam delirium circa unum aut pauca objecta; maniam delirium universale cum aucto incitamento; dementiam ratiocinationem insulsam; imbecillitatem, aut idiotismum, cum ita sunt organa conformata, ut nullo modo conduci possit ratiocinatio. Spurzheim easdem amplectitur partitiones, siquidem in quatuor formas distribuit insaniam, scilicet in idiotismum, dementiam, maniam, melancholiam. Halleran vero duas species admittit dementiae, unam nempe a caussis moralibus, aliam a caussis physicis productam. Haec divisio universim respuitur; nam caussae morales, et caussae physicae esse possunt caussae vesaniam excitantes, sed caussa hujus proxima semper physica est, secus alterari constanter non possent cerebri functiones. Animi pathemata inducere possunt dementiam, quia celeritate maxima, varioque modo possunt male cerebrum, nervos, et viscera afficere.

Foderè, ut plures Nosologi anterioris memoriae, dividit insaniam secundum symptomata, unde eam appellat melancholiam amatoriam, religiosam, superstitiosam, nostalgicam, misanthropicam, etc. Haec vero symptomata non constituunt diversas species, sed varietates unius ejusdemque speciei, ut infra demonstrabimus. Aptior autem divisio mihi videtur, si distinguatur dementia in tres species, scilicet maniam, melancholiam, fatuitatem. Mania est universale delirium sine febre, sed cum furore, audacia, violentoque musculorum motu. Interdum vero maniacum delirium non est tam ferox, nec tam auctum musculorum robur. Melancholia est partiale delirium, idest super unum aut pauca objecta, dum circa reliqua recta est ratiocinatio et judicium. Fatuitas est talis debilitas aut defectus facultatum intellectualium, ut impossibilis sit recta ratiocinatio, et judicium. In hisce vero speciebus observantur plures varietates, variique gradus, scilicet major vel minor furor; major, vel minor aberratio circa unum aut plura objecta; major, vel

minor imbecillitas. Ergo dementia et idiotismus quorundam auctorum non sunt nisi gradus unius speciei, nempe fatuitatis. Dementia enim et idiotismus consistunt in imminutione, aut abolitione facultatum intellectualium, ut infra videbimus.

§. 1767. Raro non comparent signa, quae ad vesaniam proclivitatem declarant, quaeque dici possunt prodroma. Haec quidem multa sunt, sed frequentiora et praecipua recenseam; ut profunda tristitia, aut insolens laetitia; transitus repentinus ex tristitia ad gaudium cum assiduo risu; quaestiones insolitae, et a ratione alienae; sympathiae, et antipathiae, unde amor, vel odium; munificentia, et benignitas erga omnes non consueta; odio prosequi parentes, amicos, illosque nuper cariores; contra deamare abominandos; adjungere animum ad inania, et negligere res magni momenti; suspicio, timor illorum qui nocere non possunt; audacia, et petulantia in illos, quibus habendus est honor; taciturnitas; loquacitas; fuga ab aliorum comitatu, et a luce; assidua vigilia, aut somnus visionibus

interruptus; membrorum tremor; desiderium tabacum in pulverem redactum naribus attrahendi; defectus appetitus, aut voracitas; cupido bibendi; vertigines; palpitatio cordis; effraena libido, frequentesque involuntariae nocturnae pollutiones; internus calor, unde quaeritur vestes deponere, et aperire fenestras; cutis ariditas; perspiratio emittit specificum odorem; alvus adstricta; defectus consuetarum exinanitionum sanguinearum. Signa vero quae evidenter vesaniam patefaciunt, plurima et varia sunt, prout dissimiles sunt species illius. Interdum functiones vitae organicae praecipue laeduntur, ut circulatio sanguinis, respiratio, digestio, nutritio, secretiones, et excretiones; interdum vero hujusmodi functiones remanent immunes. Functiones vero vitae animalis constanter et vario modo turbantur, ut oculi mobiles, fixi, rubri, sanguinei, sublutei, plumbei, parum cernentes, aut volitantia corpora, lucis fulgores, umbras trementes perspicientes; intuitus jucundus, moestus, trux; odoratus imminutus, aut depravatus; sic gustus, nam omne alimen-

tum, etsi gratum, ut ingratum et nauseorum rejicitur, contra injucundum et sordidum ut acceptum expetitur, et maxima voracitate editur; auditus etiam modo obtusus, modo acutissimus, modo vexat tinnitus in auribus, modo soni, voces, murmur, rumores qui non sunt, percipiuntur. Plures sunt dementes qui sibi ipsis, aliisque nocent, siquidem percutiunt, et vulnerant, et semper proclives sunt ad violentias, furtum, incendia, caedes; alii sunt laeti, ridentes, magnanimi, prodigi, benigni, festivi, faceti, fere nunquam diu sedentes, et in uno loco immorantes; alii rebus divinis addicti, nunquam submissis genibus in vota precesque cessantes; alii modesti, reverentes, et ita obsequentes, ut recepta jussa non morentur; alii arrogantes, impatientes, inofficiosi, asperi, contemptores, et se esse credunt quod nunquam fuere; alii etiam indocti sub insania fiunt ingenio praestantes, unde sermones et carmina pangunt, vel prius sapientes evadunt hebetes; alii adminiculatiorem memoriam servant, vel omnino amittunt; alii urentem corporis calorem vel mo-

lestum frigus patiuntur; alii sensibiliores fiunt, vel ita insensibiles, ut sine magno fastidio frigus, famem, sitim perferre possint. Haec sunt generalia symptomata, inter quae etiam nonnulla comprehenduntur, ad species, et varietates insaniae pertinentia, ut infra observabimus.

§. 1768. Quidam sunt qui dementiam morbum esse spiritus arbitrantur, idcirco in ipso spiritu proximam illius caussam quaerunt. Hic est reprobandus error; nam vesania non aliam habere potest caussam, quam aliquam morbosam conditionem cerebri, vel nervorum vel alicujus visceris et partis humani corporis. Arduum vero est definire quae sit hujusmodi morbosa conditio, ex qua proxime dementia oritur. Innumerae ideo sunt opiniones, quarum pleraque pars erronea est. Veteres credebant esse pravam spirituum animalium dispositionem, ut est crassities, opacitas, fervida et ignea indoles. Haec hypothesis diu perstitit, nimirum donec illi pathologiae solidorum addicti, ut Hoffmann, Baglivi, Willis, aliique vesaniae caussam in cerebro perquisivissent. Postea Chiarugi de-

mentiam habuit ut effectum augmenti vel imminutionis virium vitalium in fibris cerebralibus, et ab hac alteratione vitali oriri opinabatur mollitiem vel duritiem cerebri, quae tam saepe sectione cadaverum reperitur. Cullen hanc fere opinionem sequutus est. Verum saepe etiam nihil praeternaturalis deprehenditur in cerebro; et in tam bene constituto viscere certum non videtur, hanc adesse vitalem alterationem. Plures autem existimant in caussa esse organicas cerebri mutationes, quas alii repudiant, maxime Esquirol, et Pinel, qui asserunt hasce organicas mutationes non caussam, sed potius esse dementiae ipsius effecta. Sed contra erupit Spurzheim, qui contendit perquisitam caussam in organicis cerebri partium alterationibus occultari. Ipse enim inquit cerebrum esse animae organum, et cerebri partes esse primitiarum facultatum organa. Ab harum partium igitur perturbatione diversas deducit dementiae species. Ex quibus evidenter patet, esse systematis studiosum, quod effinxit Gall. Plerique vero physiologi rejiciunt diversas cere-

bri partes hisce facultatibus inservientes, nec admittunt, hujusmodi facultates seorsum exerceri, sicut constituit Gall. Hujus tamen non contemnendi sunt labores; nam si accipi non possunt variae cerebri partes primitiis facultatibus obsequentes, tamen ex animadversa conformatione cranii quaedam deprehendi possunt morales proclivitates; quae vero nunquam sunt tales, ut ipsis voluntas reluctari non possit. Sprengel autumat dementiae caussam in centro gangliosi systematis adesse, idque ab angoribus, et aestubus intestinis infert; quia plures dementes de constrictione praecordiorum, et de ciborum fastidio queruntur. Considerat insuper, plura ganglia nervorum ope esse subjecta cerebro, qui habent communicationem, et quorum principium est par vagum. Sed hujusmodi symptomata, quibus nititur haec opinio, saepissime non deprehenduntur in dementibus. In melancholia, quae dicitur moria, dementes sunt hilares, et non solum non plangunt praecordiorum constrictionem, et ciborum fastidium, sed credunt se esse beatos, tranquille dormiunt;

edunt, digerunt, omnesque functiones explent. Sic de aliis melancholiis dici potest. Alii autem recentiores admittunt diathesim, et conditionem pathologicam dementiae. Putant, hanc diathesim in aucta sensibilitate cum spectabili organica debilitate; conditionem pathologicam in vitiosa cerebri textura consistere. Alii excludunt quodvis vitium in substantia cerebri, et solum perturbationem vitalium proprietatum respiciunt. Cogitat Bayle, inflammationem primariam et chronicam involucrorum cerebri frequentem in dementibus, esse ut plurimum, vesaniae caussam. Suspicor vero, eum pro chronica meningum inflammatione illum vasorum turgorem accipere, qui tam frequenter non solum in dementiis, sed etiam in reliquis convulsivis morbis sectione cadaverum invenitur. Brussais animo finxit, dementiam esse irritationis effectum. Sed ut cognoscatur quam sit erronea hujusmodi opinio satis est plures melancholicos respicere, in quibus atoniae universalis, et viscerum torporis signa evidentia sunt. Nonnulli autem ponunt caussam, et sedem

dementiae in humorum mutatione. Credit Foderè dementiam sedere in sanguine, scilicet in mutata ejus vitalitate. Sed quomodo ex hac caussa explicarentur species et varietates dementiae inter se oppositas? Prost spectat coacervationem bilis, ut efficaciorem dementiae caussam. In dementibus vero est potius inertia bilis adnotanda, unde frequens in ipsis est alvi durities, et faeces non consueto colore tinguntur, sed nigrae sunt et exuccae. Sed haec inertia est saepe insaniae symptoma, quod ab ipsa cerebri morbosa affectione dependet, siquidem per consensum perturbatur hepatis functio. Ne vero longiori sermone utar, probabile mihi videtur, non unam, sed plures esse caussas pro diversis insaniae speciebus. Interdum enim probabilis est mutatio proprietatum vitalium cerebri, et nervei systematis; interdum aliquod vitium in substantia cerebri, nervorum, viscerum, et in capitis ossibus; interdum in cerebri irritatione. Revera observatione cadaverum saepe nec in cerebro, nec in nervis, nec in visceribus invenitur quod sit praeternaturale, ideoque

caussa non potest interdum esse nisi in perturbatione vitalium proprietatum: saepe etiam inveniuntur cerebri, et vasorum vitia, quae a quibusdam sine ratione non ut caussa, sed ut dementiae effecta putantur: interdum reperitur in cerebro, ejusque membranis vasorum turgor, quod probat in causse esse posse irritationem.

§. 1769. Caussae quae ad vesaniam praeparant sunt aetas; nam illa plerumque habet locum inter vigesimum et sexagesimum vitae annum; temperamentum sanguineum, vel melancholicum; siquidem dementes persaepe sunt hisce temperamentis praediti; immodica fibrarum cerebri, et nervorum sensibilitas; quaedam conformatio capitis. Non vero cum Gall opinor, prominentias cerebri esse indubia signa nonnullarum praevalentium affectionum, et proprietatum intellectualium; nec opinor, praevalentia massae hasce affectiones posse explicari. Idcirco si dicantur mathematici parum ad dementiam proclives, quia exiguum est calculi organum, est ratio quae animum non explet; contra si animadvertatur quod

mathematici non sese dant imaginationis commentis, sed ratiocinationi, quae ab inconcussis principiis deducitur. Nonnulli credunt parvum caput esse imbecillitatis indicium; et hinc homo nullius ingenii vulgo dicitur parvi capitis. Inquit etiam Spurzheim, cerebrum nimis parvum imbecillitati conjungi. Hic est maximus error, ut experientia edocemur. Imbecillitas tum evitari non potest, cum parvo capiti aliquis hujus adjungitur defectus, ut est ossium temporalium, et frontalis depressio. Nec confirmatur quod Haller, et Bichat asseruerunt, nimirum inaequalitatem hemisphaeriorum cerebri esse caussam dementiae. Frequens enim est haec inaequalitas in illorum cadaveribus, qui non dementes occubuere; dum saepe hemisphaeriorum aequalitas in dementium cadaveribus invenitur. Preterea inter praedisponentes caussas sunt coeli mores, nam in nonnullis regionibus dementia est familiaris, et endemica; haereditarium jus, quoniam in quibusdam familiis vel mania, vel melancholia, vel fatuitas a parentibus in filios extenditur. De sexu au-

tem parum dici potest; siquidem in nonnullis regionibus magis foeminae, in aliis magis homines in dementiam incidunt. In universum apud divites nationes plus numerantur foeminae vesanae, idque arbitror per nimia vitae commoda, per lecturam fabularum milesiarum, pravorumque librorum. Hae enim caussae magnam habent vim, praesertim si aliae accedant, ut menstruationis, graviditatis, et puerperii molestiae.

§. 1770. Excitantes dementiae caussae externae sunt, et internae. Ad primas pertinent ictus, vulnera, contusiones, lapsus, fracturae ossium capitis. Nihilominus per externas violentias sanationis dementiae non desunt exempla. Transactis temporibus, cum ubique locorum credebantur verbera remedium in dementiam, homo improbus dementem mulctavit fuste super caput, quod vehementer fuit concussum, et frontalis vena sauciata. Paullo vero post ille recuperavit intellectum. Haec vero exempla rara sunt. Inter autem internas caussas aliae mechanico modo operantur, ut exostoses, calculi, tumores, hydatides, quae non raro in

cerebro dementium reperiuntur; aliae frequentiores sunt morales, ut studia, lucubrationes, imaginationis aestus, animi multiplicia pathemata, potissimum amor, odium, timor, terror, ira, cupiditas. Quapropter quidam credunt, tres furias a poetis effictas non esse nisi praevalentes animi affectus, scilicet iram, cupiditatem, libidinem; quamvis alii sapientes judicent, Eumenides exprimere animum ita reae conscientiae stimulis actum, ut facile transeat ad delirium. Damnanda est animadversio, quam circa animi pathemata prodidit Spurzheim inquiens, si spiritus a perturbatricibus affectionibus expediri non possit, patet organicam constructionem aliquo modo in spiritus ipsius declarationes influere. Haec enim propositio, quae a systemate Gall deducitur, ad demonstrandam tendit actionum necessitatem. Homo qui suae spontis est, quaevis sit organica cerebri structura, semper vincendo affectionum aggressioni adversatur, et sic spiritus ab illis extricatur. Pluries vidi puellas ad furorem uterinum dispositas solo religionis auxilio, nimirum orationibus,

jojuniis, abstinentia a rebus, quae hanc dispositionem augere potuissent, hujusce diri morbi progressum obtruncare. Hac eadem ratione plures homines se abstinent a luxuriae crimine, et ab ira, ita ut tractu temporis casti, placidi, et mites fiant. Aliae etiam sunt caussae excitantes dementiam, ut nimia sanguinis quantitas, aut ingens hujus jactura; frequens ebrietas; insolatio; abusus veneris, et mastrupationis crimen; immodicus opii usus, et venenorum, ut hyoscyami, belladonnae, stramonii, etc. Cum autem dementia est symptomatica, aut secundaria, supervenit viscerum morbis, aut retrocessioni exanthematum, et impetiginum, aut diathesi inflammatoriae, gastricae, venereae, scorbuticae etc. ut ab evidentibus signis deducitur. Si enim diathesi inflammatoriae adveniat, pulsus est plenus, durus; fervet universalis calor; rubor inficit faciem, et oculos, luxque tolerari non potest: si diathesi gastricae, adest hypochondriorum tensio; cutis subflavus color; sputum frequens; halitus foetens; assidui flatus sursum deorsum emissi; omnium foenomeno-

rum horis vespertinis augmentum: si diathesi venereae, vexant dolores osteocopi, praesertim noctu; ulcera venerea; fluxus aliquis virulentus; maculae syphiliticae, quae frontem, aliasque partes incestant: si diathesi scorbuticae, anima foetida; vacillantes dentes; putres, et sanguinolentae gingivae; dolores extremitatum inferiorum; maculae scorbuticae per totum corpus deprehenduntur.

§. 1771. Quamvis prae oculis habeamus dementiae signa, multiplicesque caussas, tamen si intento animo omnia non consideremus, interdum delabi possumus in errorem; siquidem plures sunt improbi, et scelesti, qui ut fugiant carceres, et triremes, finguntur desipientes. Qui igitur in suspicionem cadunt, speciali attentione observentur. In quovis ideo dementium nosocomio esse debent cubicula, in quae per invisibilia foramina penetrent oculi, ut detentorum perpendantur gestus, actiones, somnus, vigilia, quin suspicentur esse sub observatione. Cum autem exeunt a cubiculis, aliisque se addunt comites, a custodi-

bus et adstantibus inspectentur, ut hi curantibus omnia fideliter referant. Permittendum etiam est, ut qui suspecti habentur ad loca publica ferantur, ubi videndum quomodo se gerant. Praeterea cognoscere debemus, quae fuerit vita, mores, educatio, praecipuae animi affectiones, parentes; quae sit corporis constitutio, et conformatio capitis; an praecesserint caussae aut ad excitandam dementiam, aut ad patrandum crimen. Tandem stratagemata sunt adhibenda, ut ipsa historia docet. Ulysses callidissimus heros, ut effugeret Trojae bellum, dementiam simulans, secus maris litora sulcos faciebat, et salem serebat. Sed Palamedes posuit ejus filium Telemacum ante vomerem et inde se occuluit. Ita Ulyssem videns, qui ne filium offenderet elevabat vomerem, illius simulationem detexit.

§. 1772. Interdum dementia facile curatur, ut illa quae nascitur a levibus caussis nullo negotio auferendis, ut est nimia sanguinis quantitas, gastricae impuritates, intestinorum vermes, aliqua excandescentia; interdum est curatu difficilis, ut quae

gignitur a gravioribus caussis, ut dispositio haereditaria, immodica nervorum sensibilitas, viscerum vitia; est insanabilis, si caussas amoliri non possumus, ut sunt vitia cerebri, prava capitis conformatio, vitia hujus ossium. Generatim observandum est temperamentum, aetas, complicationes, tempus cum morbus inceperit, symptomata, quae in cursu eveniunt. Etenim qui donantur plethorico, et robusto temperamento facilius mentis sanitatem recuperant; sic juvenes facilius senibus. Dementia simplex expeditius vincitur complicata; nam si dementes afficiantur etiam epilepsia, aut paralysi, saepe apoplexia moriuntur. Vesania jam diuturna est semper deterioris praesagii. Non enim est in humano corpore systema, quod ut illud nervorum magis se aptet pravis habitudinibus; et ideo si illa aliquem superet annum raro submittitur. Hoc vero non semper contingit, quia dantur interdum quaedam utiles in corpore mutationes, ex quibus dementiae pervicacissimae expugnantur. Inter vero symptomata alia spem, alia timorem injiciunt. Ad prima pertinent hae-

morrhagiae narium, alvi profluvia, febres, intermittentes, quae superveniunt quibusdam anni tempestatibus, cursus haemorrhoidalis, dysenteria. Ait Hippocr. aph. 21. Sect. VI. = Insanientibus si varices, aut haemorrhoides superveniunt, insaniae solutio fit. = In aphor. 5. Sect. VII. = Ab insania dysenteria, aut hydrops, aut mentis emotio bonum. = Praeterea bona est restitutio naturalium voluptatum, affectionum erga parentes, filios, fratres, amicos; desiderium exercitationum, et studiorum, quae prius erant jucunda; functiones, quae ut in statu salutis restituuntur, praesertim somnus et vigilia; propria expleta munera, maxime quoad religionem; frequens vultus lineamentorum mutatio; naturalis aspectus; tranquillitas; laetitia, praecipue post placidum somnum. Interdum etiam ut fausta signa habendus est abscessus in externis partibus, eruptiones exanthematum, spontaneae exulcerationes, ptyalismus; in foeminis fluxus albus, menstruorum regularitas. Animadvertendum est, quod interdum symptomata mitiora fiunt, sed postea recrudescunt.

Saepe qui sanati judicantur, cito in insaniam relabuntur. Sunt qui vix in nosocomio recipiuntur, sani videntur, sed si domum redeant, statim signa dementiae manifestant. Quidam rusticus demens, olim hortorum cultor S.ᵃ memoriae Pontificis Maximi Leonis XII. cum melius se haberet, hujus jussu ad vaticani viridarium quotidie ducebatur, ut consuetos labores obiret. Cum vero esset in illo saepe in eandem insaniae vim relabebatur, et ita in aliorum offensionem incurrebat, ut idem Pontifex jusserit, eum usque ad perfectam sanationem in nosocomio retineri. Si autem in dementiae cursu non solum nullum ex faustis symptomatibus compareat, sed etiam superveniat maxima virium destitutio, ciborum inappetentia, corporis consumptio, convulsiones, coma, epilepsia, apoplexia, vitari non potest mors. Denique dementia symptomatica varios habet exitus. Illa ex. gr. quae oritur ab inflammatoria diathesi ut plurimum cito sanatur; quae a diathesi arthritica frequenter recrudescit; quae a diathesi rachitica, et scrophulosa, ut plurimum ar-

tem eludit; quae a vitiis organorum saepe est curatu impossibilis.

§. 1773. Quidam credunt, dementes non diu vivere, quod non semper confirmatur. Saepe apoplexia, epilepsia, aliisque morbis moriuntur, sed interdum longam vitam vivunt. Sunt quidam in hoc urbis nosocomio quinquaginta abhinc annis degentes, qui praeter dementiam optima fruuntur valetudine. Vitae diuturnitas dementium a pluribus rebus circumstantibus pendere mihi videtur, scilicet a locorum salubritate, a qualitate alimentorum, a modo quo curantur, a diversis dementiae speciebus, et varietatibus. Melancholia quieta non parum contribuit ad diuturnitatem vitae; nam dementes nullis agitantur affectibus, appetunt alimenta, optime digerunt, tranquille dormiunt, unde fiunt pingues, et floridum vultus colorem consequuntur.

§. 1774. Cadaverum sectiones nullum aut exiguum dant lumen circa dementiae caussam. Saepe nil reperitur in cerebro, aut in aliis corporis partibus; saepe etiam observatur, quod in aliis cadaveribus frequens

est; interdum vero aliquid observatione dignum, ut irregularis cranii figura; vitiosa cerebri constructio, scilicet hoc viscus solito gravius, volumine auctum vel imminutum, nimis molle, vel durum, callosum, siccum; etiam cerebellum modo mollissimum, modo admodum durum; meninges crassiores; dura mater cranio adhaerens, et sicca; pia mater dura, callosa, fere caerulea; turgens arachnoides; serum diffusum inter meninges, aut inter meninges et cerebrum, aut ubique; venae sanguine turgidae et varicosae; polypi in vasis sanguineis; nimis callosum corpus induratum; ventriculi anteriores aut ampliores, aut angustiores, aut sero repleti, aut sicci; non raro etiam modo amplior, modo angustior longitudinalis fissura tertii ventriculi, et infundibulum clausum; ventriculus quartus figurae abnormis, et ab hoc tam distat valvula cerebri, ut maneat reclusus; plexus choroidei sanguine turgidi, et hydatidibus referti; septum lucidum nimium durum; corpus striatum sine striis, durum; pons Warolii disruptus; eminentia quadrigemina complanata, flac-

cescens, vix conspicua; glandula pinealis ingens, dura, corrupta, plena lapillis; medulla oblongata maxime dura, tuberculis repleta; specus vertebrale sero redundat; in cerebro tumores varii generis, calculi, vermes, hydatides; in pectore cor ingens, et aneurysmaticum; pericardium sero refertum; pulmones flaccescentes, et tuberculis conferti; in abdomine durities glandularum mesenterii; pancreas etiam durum, et scirrhosum; hepar ingens, obstructum; cystifellea bile plena vel tenaci et nigra, vel atro viridi, vel mixta calculis; lien quoque ingens, et obstructus; uterus scirrhosus, et ovaria tumentia, et steatomate affecta et hydatidibus.

§. 1775. Antea quam de dementiae curatione sermonem habeamus, aliquid de statuendis nosocomiis dicendum est. Haec in primis in salubrioribus locis, pura aqua scatentibus, ab habitationibus, et rumore gentium distantibus, aedificentur. Non solum hujusmodi aedificia sint in praecipuis urbibus, sed etiam in provinciis, ne nimis dementium numerus in uno vel alio noso-

comio multiplicetur. Non valde sublata duobus tabulatis constent, quo promptius, et commodius evadat servitium. Dividantur ita, ut una pars hominibus, altera foeminis assignetur. In utraque parte sit valetudinarium, in quo curentur morbi, qui superveniunt dementiae. Hisce aedificiis contineatur Ecclesia, quae dementibus utriusque sexus commoda sit. Praeterea arca vestiaria satis ampla; promptuaria cella; culina; atria consita arboribus; viridaria; prata graminea et florea; loca pro balneis, et stillicidiis; pro variis exercitationibus, et laboribus; pro theatridio, et musica; pro collocandis machinis, ut illa rotationis; pro instituendis observationibus, cum de simulatione dubitatur; pro servandis cadaveribus, eorumque sectione, et musaeo pathologico; pro convalescentibus, qui paullatim ad consuetos societatis usus restitui debent.

§. 1776. Quodvis nosocomium recte componere necesse est. In hoc itaque habitent Sacerdos pius, doctus, prudens, qui praesit rebus divinis; misericors, et intelligens moderator, cui sit administratio, et or-

do; custodes utriusque sexus, qui etiam esse debent benevolentes, et ad misericordiam proclives, et ut dementes assuescant eos observare, consimilem vestem induant; eorum numerus sit octo aut decem ad centum dementes. Medicus quotidie adeat, et plures etiam sint ejus visitationes, si necessitas urgeat, ut non solum vesanias, sed morbos supervenientes diligenter curet. Unicuique dementi assignetur cubiculum: fiat distributio, scilicet maniaci separentur a melancholicis; melancholici a fatuis; tranquilli ab inquietis; mundi a sordidis; epileptici a reliquis; natalibus clari ab infimis; convalescentes a vesanis. Particulariter custodiantur epileptici, ut evitentur mala, quae ab eorum repentino casu contingere solent, et ut ab aliis removeatur horror, quem concitant casus ipse, vulnera, sanguinis effusio, et horribilia symptomata, quibus epilepsia stipatur. Immundi collocentur in cubiculis, quae facile possint elui, scilicet habeant pavimentum leviter deflexum, ut expedite aqua defluat: eorum lectum foretur, ut per foramen transeant urinae et excrementa,

quae in vasis suppositis recipiuntur. Maniaci autem ponantur in cellis quarum murus ad hominis altitudinem contabuletur: lecti fulcrum murale parietibus adhaerens, et sit aliquantum declive; culcitra straminea cum linteis, et lodicibus: mensa etiam sit muralis, et sedile parieti affixum: fenestra adversus ostium ita edita, ut maniaci ad eam non pertingant: in janua sit foramen extrinsecus claudendum, ut observari possit maniacus; non haec occludatur serra, sed vecti corio circumtecta, ut evitetur rumor. In quovis nosocomio ita servetur temperies, ut dementes nec nimium frigus, nec nimium calorem patiantur. Nemo tandem ad videndum nosocomium, et dementes intret, sine praefectorum permissu, medicorumque consilio.

§. 1777. Ad curandas vesanias olim adhibebantur absurda, et periculosa, dum de praecipuis remediis agitabantur quaestiones. Habebatur ut specificum in maniam sanguis asininus, ex colli vena eductus, linteis collectus, et inde solutus aqua hyperici, et cum aceti tantillo, et sine expressus. Pro-

posuit Lieutaud abscissionem testiculorum; dum hujusmodi operatio est crudelis, periculosa, et sine fructu. Idem ad compescendum delirium maniacum saccharo saturni a duobus ad octo grana utebatur. Hoc vero est venenum, quod lente enecat. Sic alia usurpabantur, quae supervacaneum est recensere. Medicus ut belle dementiam curet, investiget caussas, aut inde deligat opportuna remedia, quae modo fere in universum innuam. Haec in primis sunt balnea tepida, calida, frigida, vaporosa, illaque immersionis, aut praecipitationis; stillicidia modo perpendicularia, modo transversalia; quae nunc lentius, nunc vehementius fiunt. Balnea calida proficua sunt illis, in quibus excitanda est insensibilis perspiratio; aut impetigines retropulsae fuerunt; aut aliqua utilis cutanea eruptio comparet. Haec balnea fiunt etiam super triginta gradus thermometri Reaumuriani. Magis vero in usu, magisque utilia, balnea tepida sunt, quae quavis anni tempestate fieri possunt sine caloris et frigoris incommodo. Haec etiam facilem reddunt insensibilem perspirationem,

nervorum tumultum in tranquillum conferunt, et frequentiora dementiae symptomata componunt. Eodem tempore quo fiunt balnea sive calida, sive tepida, maximam utilitatem afferunt stillicidia super caput, aut transversaliter directa, maxime in maniis. Haec enim subitanea impressio utilem in cerebro mutationem producit, unde placatur furor, et reliqua maniae symptomata. Interdum expediunt balnea frigida, ut aestivo tempore, quae nunquam esse debent longa. Frequentius frigidae immersiones solent adhiberi. Balnea vaporosa praescribuntur, cum necesse est insensibilem perspirationem promovere, et quaedam venereae luis, vel diatheseos rheumaticae, vel arthriticae disperdere. Aliquando dementes praecipitantur in balneum, quod interdum utiliter concutit nervorum systema. Per hanc rationem nonnulli dicunt, prodesse machinam rotantem, quae repentinam perturbationem, et resolutionem stomachi affert, unde vertigo, pallor, nausea, vomitus, involuntarius urinae exitus. Plures vero hujusce machinae usum reprobant. Alii vero tolleno-

nem laudant, quia post subrepit quies. Alii celebrant magica spectra secundum veterum, praesertim Celsi, consilia, qui lib. II. cap. 18. dixit = Subito etiam terreri et expavescere in hoc morbo prodest, et fere quidquid animum vehementer perturbat. = Indubium est, quin terror, utpote pathema deprimens in delirii ferocia esse possit praesidio; sed haec experimenta non semper ex sententia cedunt, nec possunt indiscriminatim tentari. Pro mulieribus ex. gr. sensibilibus, et pro dementibus pavidis non fierent sine discrimine. Maxime vero illis auxiliantur itinera, quibus haec sunt possibilia. Van-Swieten suadebat usum aquarum thermalium, ut ad habenda itinera procul a patria constringeret. Proficuae etiam sunt exercitationes gymnasticae, labores modici, occupationes acceptae, ludi, grata lectio, musica, fabulas agere, et choreas ducere. Ergo utiles sunt ambulationes per viridaria, prata ridentia floribus, sub arborum tegmine, in porticibus, per loca publica, sed solitaria, etiam in curru; cultura hortorum, et pratorum; occupationes serviles, nisi detre-

ctentur; ludi, ut alearum, pilae, latrunculorum, scruporum. Musica autem, saltationes, comoediae non sunt omnibus permittendae, et non sine distinctione. In quibusdam enim musica sedat, in aliis excitat furorem. Haec compescit vesaniam, si caussis hujus adversa est; exasperat si caussis est uniformis. Idem ex tripudiis, et fabulis evenit. Hae enim quae aguntur a dementibus convalescentiae proximis juvant, cum non excitent eorum affectus, et nullam habeant cum dementia analogiam; contra nocent. Dementes primo mane suscitentur e somno, quod ipsis valde confert. Quoniam expetunt tabacum, forsan ob necessitatem quam habent intellectuales facultates commovendi, concedendum est. Interdum balneis, et expositis regulis dementes ad convalescentiam perveniunt, nec aliis indigent remediis, siquidem natura ipsa sanationem absolvit. Saepe tamen alia conveniunt remedia, secundum caussarum indolem. Etenim cum provenit dementia a statu corporis sthenico, cum scilicet homines sunt viribus praestantes; pulsus est plenus, fortis;

facies rubicunda; aetas juvenilis; deficiat consueta baemorrhagia narium, fluxus haemorrhoidalis, menstruorum, lochiorum, expedit methodus antiphlogistica, et ideo necessariae sunt sanguinis missiones generales, et locales, applicatio cucurbitularum scarificantium; quies, obscuritas, solitudo: si contra a statu corporis asthenico, sanguinis missio noxia est, quia curatio esse debet tonica, diaeta nutriens, sed non exstimulans: si a statu nerveo, symptomata sunt ut illa a statu asthenico, sed graviora, et contingunt in temperamentis nervosis, gracilibus, irritabilibus, et animi pathematibus fractis; curatio consistit in antispasmoticis, et tonicis: si ab externis violentiis, succurrunt sanguinis missiones, evacuantia, clysteres, tenuis diaeta, chirurgica auxilia. Sic in aliis casibus remedio esse possunt emetica, purgantia, resolventia, diaphoretica, deobstruentia, tonica, antispasmotica. Plures practici in caelum tollunt emetica, sed haec danda non sunt sine cautela. Praestant quidem ubi sordes sunt in ventriculo, et adsit ad vomitum proclivitas; sed sunt pror-

sus excludenda, ubi dementes sunt plethorici, ad aploplexiam dispositi, epilepsiae, et pectoris morbis obnoxii, et maxime sensibiles. Generatim purgantia sunt tutiora, et saepe adhibenda; siquidem in cursu dementiae durities alvi est frequens symptoma. Maxime vero expediunt, si caussa morbi sint primarum viarum impuritates; si aeger sit vorax, edatque alimenta quae in ventriculo concoqui non possunt; si dementiae species sit melancholia. In primis opem ferunt levia, ut salia media, oleum seminum ricini, manna, etc; sed si haec non sufficiant, ad fortiora transeundum, ut radix jalapae; extractum colocynthidos, hellebori, cucumeris silvestris; aloe soccotrina, praecipue ad menstruorum et haemorrhoidum cursum restituendum. In sensibilioribus potius administrentur resolventia, ut serum lactis, aquae minerales saponaceae, et salinae; deinde decocta tritici repentis, leontodontis taraxaci, rubiae tinctorum. Praescribantur autem diaphoretica, cum per aliquam rationem interest insensibilem perspirationem promovere: deobstruentia, ut

rhabarbarum, sapo venetus, terra foliata tartari, cum abdominalia viscera obstructione laborant: tonica, ut cortex peruvianus, praeparata martialia, quassia amara, ubi maxima est virium debilitas. Interdum necesse est affluxum sanguinis imminuere ad caput, et ideo apta est digitalis purpurea: interdum somnum conciliare, et ideo narcotica. Opium vero plerumque noxium est, si excipiatur casus, in quo ob pertinaces vigilias convalescentia impeditur. Satius est extractum hyoscyami nigri adhibere licet ejus effectus minor sit. In usum vocari possunt vel folia, vel extractum atropae belladonnae, si contingat mania cum visionibus, aut epilepsia. Datur etiam tinctura, vel extractum daturae stramonii; sed hoc practici magis utuntur, ubi aliqua sit vitii carcinomatici suspicio.

§. 1778. In quovis dementium nosocomio interdicendae sunt percussiones, et verbera. Transactis temporibus etiam a medicis credebantur percussiones refraenare delirii ferociam. Custodes vero erant homines inhumani, qui non ad incutiendum timo-

rem, sed ad eorum immanitatem explendam miseros flagellabant. Interdum a dementibus aliqua punitio sumenda est, cum scilicet ipsi sunt indociles, audaces, minantes, feroces, et ad patranda scelera propensi; sed prius admoneantur, deinde addantur minae, tandem aliqua punitione multentur, ut eos per aliquod tempus in cubiculo occludere. Si enim miseros vesanos ad rationem restituere velimus, nunquam eorum irregularitatibus violenter obsistere debemus, sed semper affabiliter. Hoc benigno modo fuit ab ipso exordio Romae nosocomium dementium institutum. Falsum igitur crimen in Romam intendit Esquirol, qui perhibet, tempore Gallici regiminis hanc urbem incepisse curare dementiam. Ut autem quisque illius errorem et calumniationem videat, librum legat inscriptum = Regole et ordini per il buon governo della chiesa, et Ospitale della SS. Pietà, dove si governano e mantengono gli Huomini e Donne Pazze della Città di Roma in Piazza Colonna, stabilite al primo d' Ottobre 1635. D'ordine dell' Eminentissimo Sig. Card. Francesco Bar-

berino Protettore. In Roma, nella Stamperia della Rev. Cam. Apost. M. DC. XXXV. = In hoc videbit quanta prudentia, et humanitate excipiebantur et tractabantur dementes, et a Cap. VI. hujusce regularum libri colliget, verbera fuisse vetita. Cum igitur in pluribus principibus urbibus nullum erat dementium nosocomium, Romae custodiebantur, et curabantur dementes. Postea vero S. Memor. Benedicti XIII. Chirographo 4. Octobris jussit dementium nosocomium ad longariam transferri, deditque Praeceptori pro tempore S. Spiritus illius curam et administrationem. Successu vero temporis cum dementium numerus augeret in dies, curarunt Praeceptores ut nosocomium ampliaretur, et illorum conditio longe melior evaderet. Praesens vero beneficentissimus Generalis Praeceptor Antonius Cioja in utilitatem aegrotantium indesinenter incumbens, multa in eos, praesertim vesanos confert beneficia, cum ab anno 1832. a fundamentis erexerit aulas ad hos excipiendos, tondendos et pectendos; caenaculum; promptuaria; culinam; fontes; balnea; stillicidia;

et hisce majoribus commodis, mundìtia et accuratiore regimine fecit, ut, quamvis nosocomium ad quadringentos dementes continendos non sit satis laxum, curationes prospere suceedant, ut quisque videre potest ab indice quotannis evulgato.

§. 1779. Qui convalescentiam adeunt familiariter utantur sanis. Possunt, ut redeant ad consuetos usus, horis vespertinis, usque ad somni horam cum custodibus conversari. Ipsis alimenta secundum valetudinis statum, perlatam dementiae speciem, consuetudinem, et conditionem concedantur. Etenim si victus animalis sit pro quibusdam nimis nutriens, et exstimulans, deligatur vegetabilis, et refrigerans; si restaurari debeant vires, ille victus magis expedit; si dum autem requiritur major nutritio, haec nec nimis abundans, nec exstimulans esse debeat, tum alimenta sint mixta, animalia scilicet, et vegetabilia. Generatim vero pro dementibus, et illis qui ad convalescentiam pervenerunt, apta sunt alimenta salubria, et concoctu facilia, et quae cum medicamentis adhibendis habeant analogiam. Cum

convalescentes confirmatam mentis sanitatem receperunt, non debent plus quam opus est in dementium nosocomio manere. Modo vero ad dementiae species descendamus.

SPECIES PRIMA

Mania.

§. 1780. Mania est delirium ferox circa omnia, est scilicet universale delirium. Maniam praecedunt quaedam prodroma signa, ut internus calor; vigilia; inquietudo; nulla idearum cohaerentia; frequens mutatio lineamentorum faciei; insoliti oculorum, vultusque motus; insuetus risus; vox profunda; ventris duritia; sine ratione iter facere, currere, gradus sistere; in omnibus actionibus instabilitas. Tandem accedit delirium ferox cum horribilibus symptomatibus, ut sunt vultus inflatus, visuque terribilis; trux intuitus; agitationes, et convulsiones totius corporis; audacia, et periculorum contemptus; aut alimentorum, et potionum recu-

satio, aut ingluvies, quin maniaci animadvertant alimenta quae edunt; pulsus irregulares; respiratio modo frequens, modo praepedita; consuetae ejectiones ad voluntatem retentae; alvus ut plurimum compressa; ingens musculorum vis; interdum ita ingenium extollitur, ut alii poetae, alii oratores evadant; alii memoriam perdunt, nec tempora delirii recordantur; alii contra mente tenent quidquid, mania saeviente, contigit; sub ferocia maniae nec parentes, nec cariores, nec amici cognoscuntur. Declinante vero paroxymo, maniacus fit moestus, stupidus, melancholicus. Ferocia delirii non semper iisdem horis assultat; siquidem modo mane, modo vespere, modo noctu delirantes magis jactantur, et furunt. Symptomata maniae immania fiunt, si illi ad horizontem decumbant. Ipsi enim deliri hanc positionem fugiunt, quia tempore paroxysmi sese, praesertim capite, elevare nituntur. Idcirco nunquam obligentur miseri hoc positu manere, ne symptomata magis ferociant. Plerique arbitrantur, maniacos rigori frigioris, sitis, famis obsistere, quod vero non

semper evenit. Inquit Pinel Nosogr. philosoph. Tom. III. pag. 119. Quot nam sunt frigore vexati, et quot ad ignem appropinquant? An non contingunt quotannis propter pedum, et manuum congelationem eventus infelices?

§. 1781. Magis ad maniam sunt proclives juvenes, quam senes; homines, quam mulieres; et nati a parentibus maniacis. Excitant maniam quae vehementer agunt in cerebrum, nervos, vasa, ut insolatio; abusus vini, et spirituum; quaedam venena, ut baccae solani furiosi, cicuta aquatica, quaedam fungorum genera; animi pathemata, quae non solum in nervorum systema, sed etiam in diversa viscera, et partes humani corporis operantur. Ira tentat hepar, et cystifelleam, et ideo sub ejus actione secernitur copiosa, et acerrima bilis, quae non raro ad furorem conducit. Amor aggreditur partes genitales, easque ad Venerem disponit; et interdum tam est impotens ut evehat ad furorem. Nonnulla cerebri vitia esse possunt caussa et effectus maniae, ut siccitas, mollities, durities substantiae corti-

calis aut medullaris; glandula pinealis ingens; ventriculi aqua pleni; meninges corruptae, effusae sero; polypi in sinubus durae matris; calculi; vermes; tumores externi; etc.

§. 1782. Interdum mania est brevis morbus, nec remeat, si fugiantur caussae, quae eam produxerunt. Facilius sanatur continua, quam periodica mania. Raro curabilis est quae ab epilepsia, et paralysi provenit. Si mania est incurabilis saepe in fatuitatem vertitur. Mulieres si in puerperio maniacae fiant, plerumque mentis sanitatem recuperant. Praesagium est potius infaustum, si tempore menstruationis pejora evadant symptomata, et menstruorum cursus est laboriosus, praeparcus, aut nimis effusus. Maniacae ex utero, si conceperint, liberantur. Interdum mania ultimis gestationis mensibus conticescit; quae vero post partum, revertitur. Frequenter largae haemorrhagiae, ventris fluxus, febres intermittentes maniam resolvunt. Raro mania lethalis est; sed subinde curatu difficilis, praecipue si inveterata, et haereditaria, quae si

submittitur, recidiva fit. Est faustum signum, cum somnus flectit delirium; malum, si pertinaces sint vigiliae; pessimum, si post somnum eadem intensitate perstet furor, et etiam accedant convulsiones, epilepsia, apoplexia. Mania, quae febres intermittentes excipit, maxime quartanas, saepe in fatuitatem degenerat. Maniaci aetatem gravem persaepe non attingunt, et apoplexia, epilepsia, marasmo, febre lenta nervosa, hydrope moriuntur. Interdum vero ad senectam perveniunt, praesertim si mania non sit cum aliis morbis complicata, et remissiones habeat. Quidam tentant se laedere, et ictus capiti infligunt; unde aliquando sani fiunt; sed ut plurimum vulnera in maniacis pessima sunt, et lethalia. Sperari potest maniae sanatio, si ab hysterica, vel hypochondriaca affectione, vel a suppressione alicujus exinanitionis sanguineae, vel aliquo narcotico nascatur.

§. 1783. In cadaveribus maniacorum saepe arachnoides crassa, rubra, opaca reperitur; turgida sanguinea meningum et cerebri vasa; ingens effusio serosa vel in ven-

triculis, vel inter membranas cerebri, hujusque anfractus; portiones arteriarum osseae; cerebrum durum; dura etiam et ingens glandula pinealis, quae aliquando granulosa est.

§. 1784. Plurimi insignes practici maxima simplicitate curarunt maniam, nimirum aliqua sanguinis imminutione, aliqua purgatione, et emulsionibus refrigerantibus: alii contra remediis violentis, et inter se oppositis, ut venae sectionibus, opio, moscho, camphora: alii nostris temporibus abutuntur phlebotomia, et remediis deprimentibus, quia falso semper inflammationi tribuunt maniam. Sanguinis missiones immodicae admodum nocuae sunt, quia morbum pejorem reddunt, et faciunt ut transeat in fatuitatem insanabilem. Saepe utilia sunt purgantia; sed in temperamentis plethoricis, et biliosis mitia sint, ut cremor tartari, sal anglicanum, manna, oleum seminum ricini, pulpa cassiae. In temperamentis vero pituitosis, et melancholicis esse debent validiora, ut helleborus niger, ejusque extractum, jalapa, extractum colocynthidos. Ge-

neratim curatio sit simplex, et in caussas dirigatur. Si igitur maniaci sint fervidi temperamenti, si sese dederunt usui rerum calefacentium, juvant acidae potiones, quae corrigunt calorem, sanguinis impetum compescunt, fibrarum irritabilitatem fraenant, ut et frigidae potiones. Balnea ut plurimum sint tepida, quae humectant, laxant, et perspirationem promovent. Horum balneorum tempore, scilicet dum maniaci balnea ingrediuntur, fieri etiam possunt stillicidia super caput, aut transversim ad hujus latus. Extra balneum prodest etiam applicatio nivis super caput ipsum. Aestivo tempore utiliter fieri possunt immersiones, et aspersiones frigidae; et interdum pro juvenibus, et robustis balnea ipsa frigida. Haec imminuunt in maniacis irritationem; sed si mania sit congenita, et contingat in plethoricis damnosa sunt. Balnea calida habent fautores, et vituperatores; tamen hyeme, et ubi corpora non sint satis valida, utilia esse possunt. Si haec non proficiant, tentanda est praecipitatio in aquam tam a Celso, Helmontio, Boerhaave, aliisque celebrata,

utpote quae concutit, et mentem a delirio amolitur. Dixit Boerhaave §. 1123 = Praecipitatio in mare, submersio in eo continuata, quandiu ferri potest, princeps remedium est. = Hujusmodi vero experimenta non sunt sine periculo, ut plura testantur exempla. Illi vero qui praecipites aguntur in balneum, in hoc per aliquod tempus maneant, et caput super aquae libellam teneant.

§. 1785. Plura alia sunt remedia ad maniam, quae a quibusdam scriptoribus commendantur, culpantur ab aliis, ut narcotica. Inquit Burserius Tom. V. §. CCXXXII. pag. 237. = Et reapse nihil utilius, praestantiusque inveni, post necessarias evacuationes, refractasque aliquantum aegri vires, ad vigilias arcendas, et nimiam sensibilitatem, mentisque perturbationem sedandam, componendamque, quam opium ,cujus etsi magnas etiam doses a maniacis sine noxa interdum ferri, magister usus pluries demonstravit, olim tamen, nisi prudenti experimento, et justis primis dosibus tentatis, ad largiores, atque insolitas, quis progredi audeat. Ut

enim interdum in peculiari idiosyncrasia, quibusdamque aegrotantium constitutionibus calorem, motum sanguinis, faciei ruborem, vigilias, et corporis jactationes adauget, sic quandoque in aliquibus praeter expectationem, et consuetudinem exigua etiam dosi veternum inducit mortiferum. Non ergo inconsulto, et temere hoc, alioquin utilissimo adjumento uti licet. ⇄ Experientia vero demonstravit, rarissime opium in maniae curatione utilitatem afferre. Hanc ob rationem nonnulli recentiores frictiones ex opio super aliquam corporis partem proposuerunt. Sex ideo, vel octo opii grana optime contriti larido immisceantur. Non solum vero opium, sed etiam alia narcotica parum expediunt; nihilominus interdum ad conciliandam quietem tutius mihi videtur hyoscyami extractum. Sic de moscho non convenit inter auctores. Quidam eum utilem credunt, quia sudorem excitat, et somnum advocat. Hinc pulverem Tunquinensem praedicarunt ex granis sexdecim moschi optimi, et granis duodecim cinnabaris nativae, totidemque cinnabaris antimonialis

compositam. Alii contra damnarunt moschum, quia nimis agitat, et calefacit. Revera illi ipsi, qui hoc remedium laudant, inquiunt, parvis dosibus cum nitro, aliisque temperantibus esse administrandum, ut illius vis calefaciens mitigetur. Ita de camphora disputatum est; cum alii proficuam, alii inutilem et damnosam existimant. Remedium quod post sanguinis emissiones, purgationes, et emulsiones refrigerantes vere juvat, ubi ingens est robur, et systematis arteriosi et nervosi incitamentum, est digitalis purpurea. Haec igitur exigua dosi danda est, quae deinde, ut casus postulat, potest augeri.

§. 1786. Quoniam in curatione maniae quies, et stimulorum fuga est in primis opportuna, cubiculum maniacis assignatum sit obscurum, quietum, et a quovis clamore remotum. Quidam religiosus maniacus in silentio se in tranquillum fere conferebat; sed si vocem aliquam audiverat, furore concitabatur. Dum decumbunt maniaci, vitanda est, ut supra diximus, ad horizontem positio, quae affluxui sanguinis ad ca-

put, et vasorum cerebralium plenitudini favet. Quocirca in lectis ad coercitionem pono subter caput tabulam cum pulvinare, quae ad libitum elevari, aut deprimi possit. Adhibentur etiam capsae ad coercitionem; sed aut lecti, aut capsae non solum motiones impediunt, sed etiam aliquo modo circulationem opprimunt. Sub indomito furore non possunt maniaci vel in lectis vel in capsis sine damno retineri; ideoque melius arbitror, quod ipsi super paleam decumbant, quae saepissime permutetur. Praeterea quantum fieri potest munda serventur maniacorum corpora; et eluatur cubiculum; aër crebro renovetur. Necesse etiam est adhibere subuculam; sed ego praefero thoracem crassae telae, ut coerceantur, cum assurgunt, aut ingrediuntur balnea. Facio, ut manicae ejusdem thoracis sint longae, ut retro scapulas ligari possint, et hoc modo dementes libere moveant brachia, et sibi muscarum aliorumque insectorum molestiam auferant. Animadverto quod in mania puerperali saepe necesse est matri praeferre natum, ut ipsi ubera admoveat, si possit, et consentiat.

§. 1787. Alimenta pro maniacis sint levia, et concoctu facilia. Quantitas vero alimentorum sit aetati, consuetudini, viribus consentanea. Saepe maniaci edere et bibere recusant: tum oportet ut aliquo utamur instrumento, ut alimenta saltem liquida deglutiantur, praeter clysteres, qui ex jure carnis injici solent. Nos instrumentum effinximus in adjuncta tabula expressum, quo sine dentium laesione commode introducuntur alimenta. Hujus enim subtiliores laminae in os immittuntur, et dum hae elevantur, ita diductae remanent maxillae, ut alimenta liquida et potiones facile possint intrudi.

SPECIES SECUNDA

Melancholia.

§. 1788. Melancholia quae post Aretaeum dicta fuit alienatio mentis partialis, habuit nomen ab atra bile. Perturbatio perceptionum et judiciorum in una vel paucis

rebus circumscribitur. A diversitate hujusce partialis dementiae, nascuntur plurimae varietates, quae variis nominibus dicuntur, ut si dementes credant esse lupos, eosque imitentur, tum melancholia dicitur lycanthropia; si canes, et ut canes latrant, et mordent, chynanthropia; si ipsos solum desiderium teneat redire in patriam, et parentes, amicos, rura natalia videre, nostalgia; si non exoptent, et quaerant, nisi qui in amore sunt, et in eorum luminibus Dei ipsius splendorem videant, erotomania. Sed priusquam de praecipuis varietatibus verba faciamus, quae sint specialia melancholiae signa videamus.

§. 1789. Ut plurimum ante melancholiae declarationem quaedam deprehenduntur insolita quoad mores, consuetudines, et usus, quae ad hanc vesaniae speciem inclinationem demonstrant. Etenim qui ad hanc propendent, sunt silentes, moesti, hilares, loquaces, profusi, avari; ad interrogationes non respondent; suspiciosi, timentes clam aspiciunt, et ab hominum comitatu se distrahunt. Dum haec symptomata ,quae

prodroma sunt, augentur, manifestatur res, circa quam falsae ideae, falsumque judicium versatur. Somnus est interruptus, turbulentus; contremiscunt membra; pulsus modo tardiores, modo celeriores; intuitus perturbatus, incertus; lingua foeda; cutis pallens, sicca; praecordia tenduntur; avide appetuntur sordes; graveolentes eructationes; cardialgia; urinae turbidae, jumentosae. Salivae cursus; nimia salacitas, et ad masturpationem propensio. Plures retrusam habent sensibilitatem, unde famem, sitim, frigus, calorem perferunt: alii laborant facultatis motricis torpore, unde inertes, et in eodem loco, et positione morantur; alii proni ad patranda scelera, latrocinia et incendia agunt; vulnera infligunt, et se ipsos occidunt: interdum prius vitam adimunt parentibus, conjugi, filiis, amicis, occurrentibus, et post in se ipsos impetunt, expoliantque vita. Animadversis melancholiae signis, ad varietates progrediamur.

§ 1790. Dicitur melancholia religiosa, si profundus sit moeror, et ingens timor divini judicii; persuasio futurae, et aeter-

nae damnationis; omnis spes in Dei misericordia abscissa; aures non patent piorum hominum, et castorum Sacerdotum exhortationibus, qui eorum oculis vera religionis principia subjicere conantur. Hac melancholia laborantes habent saepissime mutata vultus lineamenta; assidue se agitant, et raro sedent; frequentia ducunt suspiria; crebro alimenta, potiones, medicamenta recusant, siquidem persuasum habent omnia esse inutilia, eosque esse ad inferos damnandos. Quamvis vero haec symptomata in hac melancholiae varietate praecipua sint et constantiora, interdum varia sunt, et fere inter se opposita. Etenim curabam viduam quinquagenariam, quae dum severitatem divinae justitiae, et aeternam damnationem in animum inducebat, perdite masturpationi dabatur, et continue inhonesta verba profundebat, donec se è fenestra ejecit, vitamque deseruit.

§. 1791. Melancholia, quae vulgo vocatur phantastica, cognoscitur ab ipsis dementibus, qui nolunt nisi morose de sacris agere, et loqui. Hi orando, et hymnos sa-

cros submissis genibus canendo conterunt dies; sunt humiles, obedientes, observantissimi; cultum corporis, et vestium nitorem negligunt, imo praeferunt sordidis vestibus indui; solum sacris mentem advertunt, maximaque pietate intersunt missae. Erat in nosocomio vir quadragenarius sodalitati mortis salutis tempore adscriptus, qui cum pluries praeclarissima SS. Animarum purgantium prodigia vidisset, in Ecclesia, cubiculis, ambulacris nosocomii ipsius, flexis genibus, contentaque voce, officium mortuorum canebat; et ubi forte obscoena verba audivisset, ferociter excandescebat. Hoc in statu plures transegit annos, usque ad vitae finem. Alii contra omnia sacra despiciunt, et fastidiunt quidquid ad religionem pertinet. Impia in Deum evomunt, patrantque scelera. Alii se credunt divino afflatu impulsos, et Sibillarum more canere posse futura. Revera, ut reapse afflarentur Numine, non unus ipsis est vultus, non color, non comptae manent comae; sed pectore anhelo, rabieque tumentes, ventura vaticinantur.

§. 1792. Melancholia chimaera est dum dementes, se arbitrantur Salvatorem mundi, aut Summum Pontificem; aut Imperatorem, aut Regem, aut potentissimum Principem. Hi laeti vivunt, et sani, ipsisque persuasissimum est, agere posse prodigia, beneficia conferre, alios jubere; et ut plurimum magnifice loquuntur, et incedunt. Paucis abhinc annis fuit in nosocomio homo ab equilibus Palatii Pontificis, qui dicebat, se esse Pontificem, et ideo tiaram, pallamque Pontificalem efflagitabat, ut hisce indutus functiones, et portenta posset perficere. Revera hisce simulatis ornamentis instructus amissam visionem cuidam caeco restituere asserebat, et si quis de illius potestate dubitaret, accersebat Diras, ut impium ad inferos exportarent.

§. 1793. Melancholia nominatur saeviens, si melancholici sunt audaces, furentes, minaces; se ipsos, aliosque laedunt; et modo de una, modo de alia occupantur re. Symptomata hujusce varietatis sunt loquacitas; voracitas, aut cibi fastidium; rubor oculorum; ardor intestinorum; alvi durities.

Hujusmodi dementes injuriarum memores, sunt vindictae cupidi, et interdum hanc cupidinem pectore celant, quo tutius aggrediantur illos, a quibus se lacessitos fuisse credunt. Inhumanam aliquando ostentant feritatem; caput concutiunt in parietes; scribunt verba mystica, et arcana in cubiculorum, et ambulacrorum muris; proprio stercore cubiculi parietes foedant, et interdum hoc devorant. Sed subinde beneficiorum memores nunquam illos impetunt, qui eos humaniter tractant. In cursu hujus diuturni morbi deprehenditur faciei pallor; ariditas, et sordities linguae; halitus foetens; spuma circa oris labia; pulsus varietas, qui in vehementibus corporis agitationibus evadit febrilis; somnus spectris metuendis interruptus.

§. 1794. Dicitur melancholia Chaos, si omnes ideae sunt sine ordine, et sine nexu componuntur sermones. Uno fere temporis momento metuunt, cupiunt, dolent, gestiunt, irascuntur, placantur. In tam vario idearum tumultu ita repente animi sensus mutantur, et verba hisce conversis sensibus

respondentia, ut maximum stuporem adstantibus afferant. Hac igitur melancholia affecti sunt loquaces, laeti, ridentes, et brevi transeunt ad iram, furorem, rabiem, animi et corporis agitationes, quae etiam cito cessant, et ad quietem, et hilaritatem redeunt. Cum vero furor sit brevis non est haec melancholiae varietas adscribenda maniae. Adest in nosocomio homo quinquagenarius, qui tredecim abhinc annis exprimentem hujus vesaniae offert imaginem; nam in hoc longo temporis spatio semper discordem idearum tumultum, improbam garrulitatem, et admirabilem quietis et irae vicissitudinem objicit.

§. 1795. Melancholia vocatur moria, cum dementes sunt hilares, et exsultantes; bene edunt, et digerunt; ita concinne sibi induunt vestes, ut eorum felicitati respondeant. Praeter hanc imaginariam beatitatem bene ratiocinantur, et nullum aliis afferunt incommodum. Nuper habuimus in nosocomio hominem sexagenarium, qui se putabat felicissimum, et omnia laudibus efferebat, ut alimenta, cubiculum, lectum, linteamina,

et quidquid ipsi suppeditabatur, et in hac eadem somniata felicitate permansit, donec amissam mentis sanitatem reparaverit.

§. 1796. Melancholia dicitur attonita, cum dementes sunt stupidi, immobiles, silentes, ad interrogata non respondentes, cibos et potiones respuentes. Eorum facies stupiditatem demonstrat; nam plerumque pallida est, laxatis genis, et ex ore patulo effluit saliva quae spurcat vestes. Saepe per plures horas in eodem loco morantur, et illic etiam deponunt excrementa et urinas, et ita immundum eorum squallorem adaugent.

§. 1797. Melancholia est errabunda, si dementes errant, fugiunt hominum societatem, et per devia quaerunt solitudinem. Plerumque noctu et sine scopo vagantur; perquirunt loca relicta, umbrosa, tristia; se abscondunt in specubus, frequentant sepulcreta: tamen sunt pavidi, et ex uno in alium locum migrant; non intuentur quo faciunt iter, idcirco saepe se praecipitant; nesciunt quid concupiscant, quid abhorreant; sine ullo delectu exquisita edunt et vulgaria alimenta. Plures ex istis post aliquod tempus

fiunt convulsi, pallescunt, debilitantur, et absumuntur.

§. 1798. Melancholia nomen habet nostalgiae, cum nimis sollicitum urget desiderium in patriam redeundi, et iterum parentes, amicos, rura, armenta videndi cum profundo moerore, somni et appetitus defectu. Si hoc desiderium explere non possint nostalgici, eorum conditio pejor evadit in dies. Etenim fiunt silentes *μισάνθρωποι*, scilicet praesentiam hominum fugientes; eorum aegritudinis caussam celant; non se exercent in aliqua re; aut recusant omnino alimentum, aut parum edunt, unde decolorantur, consumuntur, moriuntur. Pluries inter milites Helvetios nostalgiam videns, observavi, illos esse magis huic melancholiae dispositos, qui delicatiore corporis constitutione donantur; nunquam procul a patria recesserunt; et semper inter armenta egerunt vitam.

§. 1799. Melancholia erotica illa est quae de rebus amatoriis versatur. Haec sub duplici aspectu consideranda est, nimirum aut in solis cogitationibus et chimaeris ero-

ticis, aut in effraeno rerum obscoenarum appetitu consistit. In primo casu est vesanum desiderium amoris absque ullo indigno facinore. Qui in tanto amore est istis melancholicis videtur numen, cui obediunt, et eximios honores et laudes conferunt. Sunt felices, si eum vident, si ab eo separantur, tristes. Si vero evenit, ut per longum tempus, aut perpetuo dividi debeant, in maximum moerorem, et desperationem adiguntur. Fiunt taciti, ingemiscunt, alimenta et potiones refugiunt, somnum non capiunt, emittunt flatus, adpetunt mortem, consumuntur, et saepe miserandum in modum pereunt „ curae non ipsa in morte relinquunt „. In altero autem casu, si desiderium rerum obscoenarum in hominibus contingat, dicitur *σατυριασις*; in foeminis *νυμφομανια*, aut furor uterinus. Hanc vero furentem libidinem Hippocr. in Epid. appellavit *οστιρομανια*. Itaque de utroque affectu aliquid dicendum est.

§. 1800. Satyriasis distinguitur a continua rigiditate penis, et inexplebili coeundi desiderio. Etenim nec usu veneris, nec as-

siduo concubitu quiescit tumefactio penis, ita ut delirium et convulsiones superveniant. Interdum satyriasis tam est vehemens, ut celeritate maxima augeantur symptomata, et paucos post dies vitam eripiat. Interdum diuturna est, et ab initio cum tumefactione penis et libidinis sensu; sed postea illa molesta evadit, et priapismo, ut infra videbimus, accedit. Hinc Aretaeus distinguit satyriasin in acutam, et chronicam. Acuta stipatur rigiditate penis, et furenti veneris appetentia, quae citius ad furorem trahit, si renixus opponatur. Hujusmodi appetentia usu veneris non mitescit, nec penis detumescit. A cute diffunditur specificus odor; facies est rubra; oculi flammantes. Aegri ardent; curvantur; spumant; sitiunt; pituitam eructant, loquuntur obscoena, quae etiam inverecunde exercent; jactantur, dein moerore premuntur; alimenta renuunt, aut voraciter sumunt sine delectu; laborant alvo compressa; urinas reddunt crassas, albicantes; omnia irrationaliter suscipiunt. Progressu morbi pulsus fit febrilis, irregularis; membra contremiscunt; inflatur venter; materiae

biliosae et pituitosae ejiciuntur, et dejiciuntur; occupat corpus manabile frigus; accedit sopor, et tandem mors. Hac acuta satyriasi magis prehenduntur debiles, sensibiles, et obscoenis voluptatibus fluentes. Cum autem satyriasis est diuturna non hac circumdatur symptomatum vehementia, unde per plures menses, et etiam annos protrahitur. Haec affectio in frequenti auctione penis, praecipue noctu, stragulorumque calore consistit. In ejus principio exstimulat libido, sed postea tenditur penis, et intensissimus dolor supervenit, nullo ad libidinem suadente stimulo, coitusque desiderio. Hujusmodi satyriasis contingit in senibus, debilibus, et a veneris usu alienis. Patet ergo, hunc morbum in suo progressu esse priapismo finitimum, qui est auctio stabilis membri virilis in longitudinem et orbem tumefacti, citra rerum venerearum desiderio, sed cum ardore molesto, et urenti. Plerumque priapismus commovetur ab usu cantharidum, quae ad tumefactionem pudendi virilis concitandam, et obscoenas voluptates possidendas sumi solent. Saepe vero calculorum ve-

sicae urinariae, aut alicujus convellentis affectus sistit symptoma. Satyriasis, quam Sauvages appellat neogamorum, non est vere morbus; siquidem est ardens coitus desiderium inter neogamos frequentissimum. Quisque autem hoc desiderium refraenare debet, ne non solum satyriasis, sed etiam maxima virium destitutio, convulsiones, et tabes dorsalis consequatur. Saepe rerum venerearum cupido a sublata imaginatione impellitur; si haec imminuitur, quin aliquid, ut in vera satyriasi, committatur obscoeni, succedit coitus moderatio, nec salus venit in discrimen.

§. 1801. Nymphomania est furens mulierum libido. Similis ergo est satyriasi, quia sola differentia est in sexu, et in organorum diversitate. Quamvis hic morbus varia habeat nomina, ut metromaniae, melancholiae uterinae, hysteromaniae, furoris uterini, andromaniae, etc., usitatissimum nomen est nymphomaniae, quasi mania clitoridis, quae veteribus etiam nympha appellabatur. Plures sunt ejus periodi, quae secundum plerosque ad tres reducuntur. In prima perio-

do incipit mens ad obscoena se convertere; sed adhuc ratio, et verecundia obsistunt foeditatibus, quibus jam imaginatio occupatur. Ergo religionis praesidio, et rationis usu in suis ipsis incunabulis extingui potest morbus. Si vero aegra ad mollitiem, et concupiscentiam se projiciat, evadit tristis, tacita, anxia, insomnis; horret alimenta, et eo magis coitum appetit, obnoxiae sunt frequentissimis pollutionibus, et hinc consumuntur. Apertissime autem sese patefacit morbus, cum non amplius lancinant conscientiae stimuli, nec aliud quaeritur, quam explere furentem libidinem. Tum incipit secunda periodus, cum scilicet aegra petulans nec religionis sacrosancta praecepta, nec rationis fraena, nec pudorem observat. Itaque intuitus, gestus, sermo, actiones omnes turpitudinem et lasciviam exprimunt. Si videant homines aut juvenes, aut senes; facetos, vel inficetos; cognitos, aut incognitos; eorum collo lacertos submittere tentant, eosque ad amplexus sollicitant; qui si forte recusent, dilacerant vestes, et pudenda lymphatae denudant. Tum clitoris, et vulva intume-

scit, unde quidam scriptores nymphomaniam appellarunt satyriasin muliebrem. Etenim ut in satyriasi rigescit penis, sicut pinguntur, aut figurantur satyri, sic clitoris in nymphomania. En jam tertia periodus, in qua mentis alienatio completur; nam si aegrae non vinciantur, nulla est obscoenitas, quam patrare non possunt. Rabido oestro percitae agitantur, offenduntur, et omnia lacerant pudenda „ Veneris monimenta nefandae „! laborant vigilia, cibi satietate, siti, alvo clausa; insensibiles sunt frigori; urinas praeparcas, densas, et rubras mejunt. Ex hac descriptione patet, non esse nymphomaniam cum illo ardenti uteri stimulo ad libidinem confundendam, quo interdum mulieres, religionis, et proprii decoris immemores, foedis se ingurgitant voluptatibus. Hisce ardentibus stimulis, et immodico coitus desiderio pronae sunt sensibiliores, quae vitam agunt umbratilem, mollem, voluptuariam; nimium vinum, et spirituosos liquores hauriunt; legunt fabulas milesias. In hac rerum venerearum cupidine abest delirium; mulieres, si velint, hanc possunt religionis ope,

et optima vivendi ratione imminuere, et extinguere. Illa vero nymphomania, quae a veteribus, et a Sauvages vocatur fervor uteri, non est nisi immodicus pruritus ad venerem. Etenim contingit hic fervor, cum uterus eodem tempore incalescit, et dolet. Foeminae hoc fervore vexatae appetunt coitum, sed ab hoc sine magno nisu se possunt abstinere; quod etiam libenter faciunt ob dolorem quem coitu experiuntur. Ab hoc eodem uteri fervore proficiscitur urinae et excrementorum suppressio, lumborum gravitas, horripilationes, et quoddam propter auctam sensibilitatem fastidium. Hactenus de characteribus praecipuarum varietatum melancholiae.

§. 1802. Disponunt ad melancholiam habitudo ad moerorem, et ad quaerendam solitudinem propter societatis taedium; haereditarium jus; habitatio sub climate frigido, et nebuloso; cogitationes assiduae circa formidabilia; insomnia, studia, et vigiliae; temperamentum melancholicum. Arbitrabantur veteres melancholiam oriri ab atra bile, et haec opinio usque ad Boerhaave et

Van-Swieten invaluit, ideoque temperamentum ab ipsis vocatum atrabilare ad melancholiam magis comparatum esse existimabant. Qui ad melancholiam dispositionem habent, ut plurimum sunt sicco corpore, capillis nigris, cute fusca, excavatis oculis, turgentibus venis. Frequentiores excitantes caussae sunt infortunia; mors alicujus parentis, amici, amantis; anxietates; nimiae sanguinis, et spermatis jacturae; retentio alicujus consuetae haemorrhagiae, maxime ex vasis haemorrhoidalibus; circulationis lentor, et viscerum abdominalium stases; exoptatis nuptiis impedimentum; coacta mora in regionibus injucundis; animi pathemata, ut moeror, timor, amor, odium; vitae taedium. Huic autem vivendi fastidio occasionem dant lectio pravorum librorum; aliquod infortunium; infelix amor; religionis defectus. Vix incipit vitae taedium, qui hoc laborant, alios fugiunt; vadunt per deserta loca; sunt moerentes, silentes, pallidi, non capiunt alimenta, et omnia contemnunt; obsignant testamentum; extremam ad amicos epistolam scribunt. Tandem vel ferro,

vel veneno, vel ballista ignea, vel minimo tormento bellico, vel in flammas se injiciunt, vel per praecipitia se jaciunt, vel alio modo interficiunt. Caussae autem quae ad acutam satyriasin praeparant, sunt quaedam anni tempora ut ver, et aestas; juventus, praecipue si evolutio partium generationis praecox fuerit; nimia sensibilitas; inviolata continentia, dum voluntatis inclinatio in venerem, et intemperantiam propenderet. Excitant autem hanc satyriasin abusus rerum aromaticarum, et spirituosarum; lectio librorum eroticorum; inhonesta colloquia; uno verbo quidquid libidinem commovet. Ad chronicam vero satyriasin deflexi magis sunt debiles, qui non bene ooncoquunt alimenta, et saepe res amatorias tractant. Ad nymphomaniam disponunt adolescentia; temperamentum robustum, sanguineum, calidum; maxima sensibilitas, praesertim uteri; vita inertissima, et delicata. Concitant vero nymphomaniam alimenta nimis calefacentia, aromatica; lectio librorum obscoenorum; abusus vini, et spirituum; desiderium amasium possidendi; mastrupationis vitium; juvenum

consuetudo; colloquia prava; salacium puellarum familiaritas. Interdum vero accenditur nymphomania ab aliqua morbosa materie, quae in organis generationis figitur, ut est herphetica; a perturbatis, et retentis menstruis, sicut inquit Hippocr. lib. de morb. virgin.

§. 1803. Melancholia est ut plurimum diuturnus morbus, maxime si a moralibus caussis originem habeat. Aliquando permanet donec vita suppetit, praecipue si haereditaria. Generatim melancholiae exitus ambiguus est; nam alii cito sanantur, alii post longum tempus; alii ad sanitatem non restituuntur; alii modo melancholici, modo maniaci sunt. Melancholia in foeminis deterior est. Non raro ad resolvendam melancholiam juvat febris; fluxus haemorrhoidum, menstruorum, materiarum mucosarum, serosarum, puriformium ex utero vel vaginae, salivae; ejectio, et dejectio atrae bilis; diarrhoea, aut dysenteria; morbi et eruptiones cutaneae ut pustulae, ulcera, abscessus, scabies, herpetes; varices, vulnera capitis; hydrops; arthritis; animi pathemata

illis opposita, quae melancholiam produxerunt. Aliquando praepostera curatio hujusmodi dementiam pejorem reddit, scilicet aut nimis extrahendo sanguinem, aut fortiora administrando irritamenta. Subinde, curatione neglecta, facilius in apoplexiam, epilepsiam, catalepsin, et maniam transit. Variat vero praesagium, secundum melancholiae varietatem. Nostalgia feliciter dissipatur, si nostalgicis reditus in patriam concedatur; secus fiunt tristiores, non dormiunt, non sumunt alimenta, non digerunt, et hinc debilitantur, consumuntur, cordis palpitationem patiuntur, et tandem accedit lenta febris, quam excipit mors. Melancholia quae venit a moerore maciei, cordis vasorumque vitiis, phthisi pulmonari, obstructioni viscerum ansam praebet. Melancholia religiosa, et chimaera curatu difficiles sunt. Melancholia phantastica modo prompte subigitur, modo insuperabilis est. Melancholia saeviens ut plurimum placatur, sed periodica est. Melancholia Chaos pertinax est, et ejus perfectae sanationis exempla rarissima sunt. Melancholia erotica, si ejus fomes sit

nobilis amor, vinci potest; sed saepe inducit vigilias, anxietates, tristitiam, defectum appetitus, consumptionem, febrem lentam, et mortem. Satyriasis vero est sordidus morbus, et interdum tam acutus et gravis, ut intra paucos dies afferre possit mortem. Cum autem satyriasis chronica est, acerbo dolore absque ulla libidine terminatur, et ideo molestissima evadit affectio. Nymphomania est formidabilis, et turpis morbus, qui mulieres, et familias inhonestat. Apud castas mulieres, quae propter verecundiam illum occulere student, tacite progreditur, sed paullo post recluditur furialis, immedicabilis. Statim ac manifestatur nymphomania curanda est, secus abit in maniam. Semper vero curatu difficilis est; ad recidivam flexa; et, ut reliquae vesaniae, quo magis antiqua, eo magis indomita. Est praecipuum spei signum, cum nymphomaniacae ab obscoenitatibus commoventur, turbanturque. Ut vero exitum nymphomaniae exacte praecipiamus in omnibus suis periodis perpendenda est. Etenim in prima periodo etiam paucis remediis, paucisque cautelis fraenari

potest; sed si jam a foedis cogitationibus rapitur imaginatio, et obscoenis aegra liquescit voluptatibus, in hac ipsa periodo periculosa est. Incipit secunda periodus, cum accedit delirium. Hoc symptoma non est tanti discriminis, si adnotabilia concedat quietis intervalla; sed si continuum, aut brevia sint hujusmodi intervalla, infaustum est. Nihilominus interdum contingunt sanationes; nam paucis auxiliis imminuitur, et quiescit delirium, succedit pudor et inde salus. Aliquando evenit, ut delirium non progreditur; sed aegrae in torporem, et imbecillitatem delabuntur. Aliquando etiam citra artis opem absistit delirium, reditque salus. In tertia vero periodo non amplius fulget spes. Aegrae sine intermissione delirae reduci nequeunt ad quietem, et omnia committere tentant, quia non amplius cognoscere valent quid faciunt, et horrendum impuritatis crimen. Praterea organa generationis obsidentur ulceribus, et abstrusa in utero ovariisque serpit, vastatque gangraena. Sed quamvis morbus non admittat sanationem, linquenda non sunt auxilia, quae aliquomodo flectant miserrimarum tormenta.

§. 1804. In cadaveribus melancholicorum meninges aut inter se, aut cum cerebro, aut cum ossibus cranii coalescunt; saepe turget glandula pituitaria; dura est et ingens glandula pinealis; non rarae sunt concretiones cordis cum pericardio; osteogenesis tam in pericardio, quam in magnorum vasorum valvulis; durities hepatis, et lienis; varices venae portarum; tumores omenti, et pancreatis; durae glandulae mesenterii; cystifellea atra et tenaci bile referta; in foeminis ovaria vel dura, vel hydatidibus, vel aquoso latice plena: in nymphomaniacis ovaria solito majora; tubae Fallopii clausae; vasa uteri turgida, et distenta sanguine; tumida clitoris.

§. 1805. Curatio melancholiae secundum caussas, aetatem, temperamentum, virium statum, et illius varietates est dirigenda. Itaque si melancholia in quarundam idearum perturbatione consistat, saepe sola caeli, et vitae generis mutatione, itineribus, solatiis, ludis, amicorum societate disperditur. Sic nostalgia puro montium aëre, aut ad patriam reditu. Interdum in melancho-

lia deprimuntur vitae vires, quod diligenter animadvertendum est; nam nocuae valde essent sanguinis missiones, et purgationes. Tum opem ferunt tonica, maxime cortex peruvianus. Si stomachus impuritatibus scateat, leve emeticum exhibendum est. Dum vero necessitas non urget, hoc fugiendum remedium, quod sanguinis stasim auget in cerebro, et occasionem dat apoplexiae et paralysi. Generatim in melancholia expediunt balnea tepida; et ubi corpus in quodam inertiae statu jacet, electricitas, et galvanismus. Animadvertere vero non linquo, quod si fluidum galvanicum in usum vocare velimus, pila sit paucis discis composita, ne nimis vehementem concussionem cerebrum patiatur. Necesse insuper est, ut accuratissime statuatur diaeteticum regimen, et aptiores teneantur modi, ut melancholici ad rationis tramitem referantur. Si ex. gr. melancholia sit erotica, sed non immunda, praecipuum remedium est connubium; sed si hoc fieri non possit, succurrat religio; habeantur itinera, removeatur quidquid novat, et acuit amoris spicula; evitentur

etiam alimenta nimium nutrientia, et stimulantia. Si melancholia veniat ab aliqua retropulsa impetigine, ut ab herpete remedia praecipua sunt diaphoretica, edulcorantia, antimonialia, balnea calida. Habemus exempla persanatae melancholiae a retropulsa scabie orsae per scabiei ipsius inoculationem. Satyriasis dum est acuta, et aeger juvenis, et robore praestans, aptae sunt venae sectiones; applicatio hirudinum, et cucurbitularum scarificantium; fotus emollientes, et cataplasmata; potus refrigerantes, ut aqua cum syrupo violarum, aut nymphoeae albae Linn. emulsiones seminum frigidorum cum nitro, decocta foliorum et florum nymphoeae, foliorum lactucae, florum malvae violarum; balnea tepida. Quando satyriasi melius est, convalescentes demorentur rure: cum ad perfectam sanitatem pervenerunt, sedulo evitent lectionem operum eroticorum, et juvenum mulierum consuetudinem; ad scentiarum, vel artium studium adjungant animum; potius ex vegetabilibus cibatum deligant. Si vero satyriasis sit chronica, curatio a levibus emeticis inci-

piatur; deinde utilis est lactis usus, et victus ex paucis unciis carnis, et exigua vini quantitate. Tandem plurimum adjumenti percipitur a tonicis, praesertim a cortice peruviano; ab aliqua corporis exercitatione; a frigidis immersionibus, dummodo aeger non sit senex. Curatio autem nymphomaniae secundum varias ejus periodos disponatur. Itaque in prima periodo oportet sanguinem, et humores diluere; impetum circulationis, et irritationes uteri et vaginae compescere; ab obscoenis cogitationibus aegrae mentem avocare. Ergo incipiendum est ab aliqua brachii venarum sectione; aliqua purgatione; deinde conveniunt diluentia, edulcorantia, potissimum serum depuratum; victus sit parcus ex vegetabilibus, piscibus, exigua carnis vituli vel pulli portione, sed sine aromatibus. Sed si morbi symptomata gliscant, repetantur venae sectiones, purgantia, diluentia, nec omittantur balnea tepida. Cavendum vero est ne abutamur venae sectionibus, purgantibus, et relaxantibus, ex quibus saepe morbus deterior fit, ut de furore uterino anima-

dvertit Bienville. Etiam in nymphomaniae curatione diluentia quae adhibentur, sunt emulsiones seminum frigidorum, aut simplices, aut cum syrupo violarum vel nymphoeae; decocta foliorum et florum malvae, radicis althaeae, etc. Cum vero morbus ad secundam periodum devenerit, eaedem vigent indicationes; sed balnea quae in prima periodo esse debent tepida, in hac sint frigida, ut ingens partium ardor mitigetur. Fieri etiam possunt injectiones emollientes ex decoctis malvae, vel lactucae, et etiam rerum emollientium applicationes. Interdum in hac periodo connubium juvit, interdum nocuit, quia omnia pejora facta sunt; interdum conceptione symptomata quieverunt. Inquit Burserius Vol. V. pag. 240. = Quamquam furorem uterinum viderim etiam in foeminis viro strenuo nuptis, qui per aliquot hebdomadas, imo menses pertinax easdem vehementer torsit, nec destitit, donec utero tandem conceperint. = Saepe vero nec venae sectiones, nec purgantia, nec diluentia, edulcorantia, refrigerantia, nec balnea, nee regulae diae-

teticae adjuvant, et morbus haud infractus tertiam attingit periodum. In hac vero nil aliud faciendum superest, nisi componere poenas, quibus enectae plectuntur.

SPECIES TERTIA

Fatuitas

§. 1806. Fatuitas aut est congenita, aut acquisita. Crebro senectuti supervenit, quae a Sauvages, aliisque nosologis amentia senilis nuncupatur. Plures a practicis statuuntur fatuitatis differentiae, quae non sunt nisi gradus ejusdem morbi. Non omnes quidem fatui et imbecilles amant ludere cum pueris, nec omnes delectantur nugis; quin plures sunt qui tantam sumunt superbiam, ut ad negotia etiam ardua pertractanda apti se credant. Sic inter idiotas alii pronuntiant aliqua verba, sed eorum sermones nec caput habent nec pedem; alii sedato sunt animo, et nulli damnum afferunt; alii inquieti, contumeliosi, et ad laedendum parati; nam jaciunt sa-

xa, percutiunt fuste, in propinquos sputa conjiciunt; alii stupidiores distendunt rictum, unde depluit saliva pectus et vestes conspurcans; in motibus, et actionibus insulsitatem ostentant, nam agunt sine scopo; saepe currunt, et comprimunt gressum; stulte chacinnos edunt, aut profundunt lacrymas; figunt obtutum; clamitant. Quapropter plures scriptores idiotismum dividunt in completum, et incompletum.

§. 1807. Fatuitas congenita a prava ossium cranii et cerebri structura nascitur. Quidam credunt etiam ab ebrietate parentum ortum trahere. Non raro fatuitas est haereditaria, quae post ortum comparet, propter pravam capitis conformationem, quae in nonnullis familiis observatur. A pluribus pathologis fatuitatis caussa putatur esse cerebri siccitas, quia saepe in fatuorum cadaveribus reperitur. Etenim haec siccitas, cum fibrarum flexibilitatem et sensibilitatem adimit, facultatum intellectualium impedit exercitium. Civis Londinensis, ut refert Sauvages, post paraphrosynem factus fuit fatuus, et repuerascens: post

mortem repertum fuit cerebrum admodum siccum, et summa in parte friabile, et undique tinctum flavedine citrea. Cadaverum vero observationibus non solum siccitas, sed interdum cerebri mollities deprehenditur. Fatuitas autem nec congenita nec haereditaria excitari potest a pluribus caussis, ut sunt contusiones, fracturae, vulnera, ictus capitis; abusus veneris, vini, et liquorum spirituosorum; mastrupatio; aetas senilis; quidam praegressi morbi.

§. 1808. Ut praevideamus fatuitatis eventum, examinanda in primis est ejus origo, an scilicet proveniat a mala capitis conformatione, et vitiis cerebri; an a violentiis externis; an ab aliis caussis. Multi sunt ab ortu fatui non solum propter pravam capitis structuram, sed etiam obstetricum culpa; et hujusmodi fatuitas immedicabilis est. Observat Boerhaave, quod si molle infantis caput nimis et imprudenter comprimatur, conciliatur ipsi insanabilis stultitia. Nonnullae fatuitatis caussae, nec congenitae, nec haereditariae, possunt removeri, unde speranda est salus, dummodo nec in-

gens, nec jam inveterata sit nervorum laesio. Sed quia raro facultates intellectuales fatui recuperant, inquit Burserius cit. Vol. pag. 243. = Quoniam vero hujusmodi mentis imbecillitas a caussa, quae auferri plerumque nequit, puta capitis mala conformatione, cerebri labefactata, aut indurata compage, aut alio quopiam invincibili ejusdem vitio, saepe ab ortu ipso, non raro a morbis praegressis derivante, dimanat: idcirco vix locum in morbis, qui sub medicinae potestate cadunt, invenire potest. Fatuos enim, atque amentes sanare quis speret? = Aliquando in adolescentibus evanescit fatuitas a vitio mastrupationis orta, si cito ab hoc recedant. Abiit etiam interdum fatuitas, quam pervicacissimae febres intermittentes relinquunt, si profligatum vigorem corpus reparet.

§. 1809 In fatuorum cadaveribus nonnunquam reperitur hydrocephalon, abscessus, tumores qui in aliqua parte comprimunt cerebrum; prava cranii conformatio; mutata cerebri substantia, nimirum modo sicca, modo dura, modo mollis. Inquit Baillie Anatom. pathol. Vol. II. pag. 266. vidisse substantiam medullarem cerebri prae-

ternaturaliter mollem, et omnino pultaceam in variis fatuitatis casibus, et in hominibus provectae aetatis. Ego etiam pluries hanc mollitiem inveni, ut et ventriculos depravato humore scatentes.

§. 1819. Cum fatuitas ab invincibilibus caussis ut plurimum nascatur, quisque videt, totam fere curationem in diaetetico regimine locari. Observandum vero est, frequenter in fatuis sordescere primas vias; siquidem sine delectu vorant alimenta: idcirco necesse est identidem ipsis exhibere purgantia, ut illa quae etiam in melancholiam praescribi solent, scilicet extractum hellebori, ct illud colocynthidos. Praeterea si caussae non solum fatuitatem, sed etiam alia corporis vitia attulerunt, ut contingit ab abusu veneris, et mastrupatione, alia etiam convenientia remedia omittenda non sunt. Tandem quia fatui plerumque sordidi sunt, praeter balnea, curarc debemus, quantum saltem fieri potest, ut in ipsis servetur munditics. Sed de nervosis morbis vitae animalis jam satis verborum factum est.

FINIS TOMI OCTAVI

INDEX

NIHIL OBSTAT

Fr. Augustinus M.a Ferrara Carmilitanus Calceatus Colleg. Theolog. Decanus etc. Censor Theologicus.

NIHIL OBSTAT

Carolus Porta Praeses Colleg. Medici-Chirurgici Censor Depûtatus.

IMPRIMATUR

F. D. Buttaoni O. P. S. P. A. Magist.

IMPRIMATUR

Jos. Canali Archiep. Colos. Vicesg.